DE

VELLEIANI VOLUMINIS CONDICIONE

ALIQUOT CAPITA

SCRIPSIT

AEMILIUS THOMAS

BEROLINI

APUD R. GAERTNERUM (HERM. HEYFELDERUM)

MDCCCXCIII

PARENTVM · CARISSIMORVM

MEMORIAE · SACRVM

Caroli Halmii, viri de Latinis litteris multis nominibus egregie meriti, Velleiani operis editio anno MDCCCLXXVI emissa magnoque, cum prodiit, plausu excepta usque ad hoc tempus quae se subsequeretur non invenit. Quam ego editionem dum intentiore cura pertracto, ut haud exiguum editori Velleium debere etiam atque etiam mihi persuasi, ita saepenumero tamen iudicandum esse aliter. Neque hoc sane mirum in tantis crisis Velleianae salebris, instrumenti habitu singulari, scriptoris natura atque indole propria. Omnem materiam exhaurire huius commentationis non est, exploratiora et notabiliora quaedam, quae praesto sunt, certis rationibus digesta quam poterit brevissime complexurae.

I.

Vellei studio, ut ab re generali initium capiamus, magnum adtulit incrementum Basileae ab Orellio indagatum hoc inopinatorum inventorum fertili saeculo exemplum Amerbachianum. In cuius originem cum a Fechtero[1]) inquisitum esset accuratissime, quam haberet vim et auctoritatem superioribus melius et perspexit et docuit Halmius.[2]) Nancti sumus ad excutiendam principis editionis a Rhenano curatae fidem redintegrandamque memoriam codicis Murbacensis, unici, si a pauculis versibus discesseris, horum librorum fontis, iam diu illius deperditi, quem bonitate famam suam longe superare hanc disputationem spero evictu-

[1]) Die Amerbachische Abschrift des Velleius Paterculus und ihr Verhältniss zum Murbacher Codex und zur Editio princeps. Bas. 1844.

[2]) Über die handschriftliche Überlieferung des Velleius Paterculus, Rh. Mus. N. F. XXX p. 534 sq.

ram, auxilium admodum fere salubre, cum antea solius editionis principis adnexarumque ei Burerii notarum minime certe plenarum ope res administranda fuisset. Quod quamvis Halmius intellexerit, nimis nec fisus plerumque nec diffisus, nonnumquam A[1]) cum P pugnanti obsequi dubitavit perperam.

Ordiamur ab orthographica quaestione. Quo priusquam accedamus, universe de omni hoc genere dicendum nos et hic et sicubi infra ad talia deveniemus, id pugnare, ut Velleio ex testatis eas formas vocabulorum reddamus, quas ab ipso profectas esse veri simile sit, aequabilitatis omissa cura. Atque ne Halmium quidem aequabilitatem scribendi enixe secutum esse passim elucet,[2]) neque vero secutum omnino Velleium ipsum festinanti stilo opus suum consignantem maioribusque aut minoribus pannis hinc illinc adreptis distinguentem aliisque etiam in rebus a constanti usu disiunctum[3]) adseveraveris, licet consentaneum sit in eo

[1]) Utimur ut editione ita siglis Halmianis; est igitur:
A = apographum Amerbachii,
M = codex Murbacensis ex collatione Burerii,
P = editio princeps Basileensis, cuius exemplum adhibui quod est bibl. reg. univ. Vratisl.

Praeterea monendum non indicatum fere iri curiosius, ubi quisque sententiam suam exposuerit, si possit erui evoluta Kritzii editione maiore.[2] Lps. 1848.

[2]) Pauca sufficiant. Probavit I 6, 2 *tricensimo* M, contra II 5, 7 *tricesimo*, similia saepe; II 87, 1 *Alexandream* M A, contra alibi *Alexandria* (*-ae*); II 90, 1 *Dalmatia*, aliis locis *Delmatia*, *Delmatae*, *Delmaticus;* I 14, 8 *Brundisium* A P, ceteris locis omnibus *Brundusium* (*-ii*) et II 86, 3 *Brundusinam* cum A contra P, qua in re eum fugit II 76, 3 Orellii exemplum ab Fechtero hoc loco non refutatum *Brundisium* A exhibere P lectioni *Brundusium* fortasse non postponendum. Tertiae declinationis accusativos numeri pluralis tenuit modo in *-es* modo in *-is* terminatos: at idem secundae declinationis vocabulorum in *-ius* et *-ium* exeuntium genitivos numeri singularis simplici *-i* terminatos furca expulit, nisi ubi antecedit vocalis, quae constantia in tanta exemplorum contrariorum copia, aequalis quoque Rhetoris Senecae usu firmata, prava videatur, licet in alteram partem peccasse censeas Kritzium, qui (cfr. eius Proleg. p. CXXII sq.) ubique hanc breviorem terminationem Velleio dandam esse sibi persuaserit.

[3]) Velut variant Graecae Latinaeque declinationis formae. Quo in genere maxime notabiles sunt accusativi *Persam* I 9, 4 et *Persen* I 11, 1 una cum genitivo *Persei* I 9, 6. Quid porro, quod I 4, 4 *Mytilenenque,* contra II 53, 2 *a Mytilenis* habetur?

potissimum genere haud pauca vel libidine vel neglegentia paullatim obruta esse. Itaque tres diversi a Velleio commemorantur Ptolemaei, semel quisque nomine, I 10, 1. II 45, 4. 53, 1; duobus prioribus locis *Ptolomaeum* A habet solum, tertio et A et P *Ptolomaei*. Nulla potest esse dubitatio, quin bis Rhenani interpolatione usitatior nominis forma invecta sit, codice vetusto recte ubique habente alteram, quam ipsi Velleio adsignabimus memores eorum, quae exposuere C. Keilius, Rh. Mus. N. F. XVIII p. 268, et Fleckeisenus, N. Jahrbüch. f. cl. Philol. XCIII p. 3 sq. 244, quorum exemplis addideris velut Vitruv. De archit. VII 1, 4. 8, Quintilian. Inst. or. VII 2, 6. Halmius vel II 53, 1 edidit *Ptolemaei*.

Porro II 82, 3 *vivos* (nom. sing.) solius A ad codicem ipsumque scriptorem videtur redire, sicut I 15, 2 *Volsoni*[1]) secundum A P, quamvis II 39, 2 exstet *Vulso,* edidit Halmius idemque retinuit *volnere* II 61, 4,[2]) qui quidem ad II 82, 3 adnotavit ‚*vivos* A antiqua scriptura',[3]) in textum non admisit. Eiusmodi autem formas Velleio quidni vindicemus, quae velut utrique Senecae secundum optimorum codicum testimonia plurimis locis ab editoribus vindicatae sunt?

Forsitan dubitaveris, utra lectio praeferenda sit II 7, 3 *alioquin* A an *alioqui* P,[4]) et II 37, 4 *proin* A an *proinde* P, atque etiam II 11, 2 *in acie fuderat* A an *acie fuderat* P,[5]) II 77, 2 *(id unum tantummodo salutare adventu suo patriae) tulit* A an *attulit* P, II 82, 2 *(praedixitque, ne) praedestinatum (iter peterent)* A an *destinatum* P: tamen omnibus his locis, quibus P secutus est Halmius, cum A utpote integriore fere teste facere maluerim. Ad II 11, 2 cfr. velut Val. Max. I 5, 6; ad II 77, 2 mos Vellei verborum simplicium praeter

---

[1]) Cfr. Kreyssigius praef. p. XII.

[2]) Restat hic unus locus ex eis, quos Kreyssigius l. l. p. XXVI collegit; nam ceteris *vu-* non *vo-* in A aeque atque P legi ex Fechteri collatione efficitur.

[3]) Idem Orellius; is tamen non mutavit.

[4]) II 2, 2. 33, 1. 4 *alioqui.*

[5]) Cfr. Kreyssigius l. l. p. XVIII sq.

consuetudinem vulgarem positorum amantis;[1]) ad II 82, 2 Liv. XLV 40, 8.[2])

Veniamus ad luculentiora. II 35, 2 in laude Catonis verum videtur, quod praebet A *non (homo* P) *Virtuti simillimus, sed (et* P) *per omnia ingenio diis quam hominibus propior.* Editores perstiterunt in interpolata P lectione, quamquam vocabulum *non*, id quod caput est, — nam de sequenti *sed* vel *set* eius silentium non multum valet — in Murbacensi fuisse testatur Burerius. Uno praeeunte Kreyssigio[3]) illud recte defendit Martinus[4]) cum alia tum ex Velleio adferens hoc II 22, 2 *neque licentia gladiorum in mediocris saevitum, sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus adfecti,* quocum a Kritzio rursus apte componitur II 126, 1 *sacravit parentem suum Caesar non imperio, sed religione, non appellavit eum, sed fecit deum.*

II 49, 3 *vir antiquus et gravis Pompei partes laudaret magis, prudens sequeretur Caesaris et illa gloriosa* (A P), *illa* (A, *haec* P) *terribiliora duceret.* Cuperi *gloriosiora*, quod superiores editores aspernati erant, cum Halmio probandi necessitas nulla est. In insequenti autem scripturae varietate *haec*, quod vulgo probavere, proclivem sapit interpolationem: ponunt interdum duplex *ille* diverso sensu aevi illius scriptores; cfr. Val. Max. VI 9, 14 *ex illo Mario tam humili Arpinate . . . ille Marius evasit, qui Africam subegit*, eqs.; Sen. Ad Marc. 18, 8 *ut ad illa venias, per illa exeundum est;* Apocoloc. 15, 2 *apparuit subito C. Caesar et petere illum in servitutem coepit; producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem*, ubi *illum*, quod ante *viderant* legitur, iure Buechelerum delevisse negaverim. Ipse

---

[1]) Cfr. C. de Oppen De M. Velleio Paterculo (Rost. 1875) p. 14. — II 86, 3 *partibus eius se immiscuisset* habet P, at *miscuisset* A confirmat M. — II 27, 3 *ferri* pro *adferri* (proprio sensu) usurpatum post Wopkensium tutati sunt Orellius, Kreyssigius, Kritzius, neque debebat Halmius, quae est fallax Madvigii coniectura, *ferro figi* edere.

[2]) II 76, 3 de servando substantivo *praeparatus* contra Halmium consentio cum Milkauio De Vell. Pat. gen. dic. (Reg. 1888) p. 57.

[3]) L. l. p. XXX.

[4]) Beitr. z. Krit. d. Vell. (Pr. Prenzl. 1862) p. 12.

Velleius scripsit II 52, 3—4 *aciem Pharsalicam et illum cruentissimum Romano nomini diem . . . non recipit enarranda hic scripturae modus. illud notandum est*, eqs. Omnino autem nihil — id quod adiungere liceat — dubitationis habet I 5, 2 *in quo* [sc. Homero] *hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est.* Halmius tamen pro *ille* posuit *ipse.*

II 64, 2—3 *censebatque* [sc. D. Brutus] *aequum, quae acceperat a Caesare, retinere, Caesarem, qui illa dederat, perire. Haec sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus aeternas Antonii memoriae inussit notas*, eqs. Habet P *peris. Haec*, cui Rhenanus in margine adscripsit ex coniectura ‚*perisse* vel *perire*'. At veri vestigia melius servavit A exhibens *peristhaec.* Quippe restituendum videtur . . . *per<isse.> isthaec (istaec) sunt tempora*, eqs.

II 95, 2—3 . . *uterque . . . gentes . . . perdomuerunt. ante quae tempora* eqs. Ita P; contra A *perdomuere Tantae quae tempora*,[1]) fideliter, puto, reddens suum ipsiusque P ex Murbacensi derivatum exemplum, ita potius emendandum *perdomuere. ante quae tempora*, sicuti in ipso A exstare perperam rettulerat Orellius.

II 105, 2 . . *ita tamen, ut eum* [sc. Sentium Saturninum] *splendidum atque hilarem* (sic Orellius, *Athilam* A, *ac hilarem* P) *potius quam luxuriosum aut desidem* (sic P, *Andesidem* A) *diceres.* Priore loco quamvis ambigi possit, cum Ruhnkenio *aut* restituere maluerim, posteriore integram servandam censeo A lectionem *an* (‚oder etwa auch') *desidem*, ne immerito oblitteretur exquisitius dicendi genus, cuius exempla inde a Cicerone identidem occurrunt.

II 124, 4 *quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam divus Augustus neque ante nos Caesar commendaret Tiberius.* A habet *consecutisque;* quod, sicut est, teneo, Orellio, ne plane illud neglegeretur, *consecutis quoque* scribente. *Que* a primo editore, ut videtur, non intellectum ideoque omissum

[1]) Cfr. Fechterus l. l. p. 27.

et vel a recentissimis spretum, valet ,quidem', ut I 8, 2 *quo quidem in ludicro omnisque generis certaminum Hercules victor extitit;* II 26, 1 *multa fortiterque molitus.* Addo huc etiam pertinere II 16, 3 ubi *cuius* [sc. Minatii Magii] *de virtutibus cum alii, tum maxime dilucideque Q. Hortensius in annalibus suis rettulit* cum P scribendum egregie emendante codicis lectionem, si modo hanc ipsam A repraesentat *dilucideq. que.* Solent Lipsium secuti edere *dilucide Q.*, excepto tamen, qui recte hoc loco iudicavit, Krausio.[1])

II.

Adhuc in discrepantia fere lectionum suum apographo Amerbachiano ius vindicare studuimus. Sequitur, ut quibusdam locis scripturas, quas ipsius Murbacensis codicis esse aut diserto Burerii testimonio constat aut in A et P consensu plus minus pleno conicere licet, ab iniustis dubitationibus defendamus, simul verius ibi constituendi voluminis huius gratia, simul ut appareat peius quam fas sit audire vetustum codicem locumque capiat etiam in persanandis indubiis corruptelis necessaria cautio, in Velleiana crisi mirum quantum saepe neglecta.

Hic quoque incipiemus ab orthographicis. II 33, 4 *Xersen,* quod A P praebent, editores reiecere omnes, genuinum esse cum aliorum scriptorum tum Senecae Rhetoris evincitur exemplis multis. Cfr. hac de re H. I. Muellerus, praefationis Senecae a se editi p. XXXIV et quos ille laudat.

II 43, 3 *Dolobellae* A P[2]) Ruhnkenio potissimum duce eodem fere iure servare potuit Halmius, quo *Perpenna* edidit (II 4, 1. 30, 1. 38, 5), quamvis ille flagitasset, ut ederetur *Perperna.* Dubia videatur res II 58, 3, ubi *Dolabella* habet A, *Dolobella* P. Ceteris locis (II 60, 4. 5. 69, 1. 2. 125, 5) usitatior forma sola occurrit.

---

[1]) Breviter moneo II 70, 3 *in gladium occubuit*, II 1, 5 *pos tergum* et II 123, 1 *pos se* ex eiusdem apographi Amerbachiani fide restituendum videri, id quod probare conatus sum in Miscellis quaestionibus in L. Annaeum Senecam Philosophum Hermae vol. XXVIII propediem inserendis.

[2]) De qua nominis forma cfr. Drakenborchius ad Liv. Epit. CXIX.

II 94, 4 Armenii regis nominis casum dativum exhibent *Artauzdi* M A, *Artavasdi* P. Haec forma ex consuetudine, cui congruenter etiam II 82, 3 *Artavasden* legitur, ficta editoribus placuit. At vero Mommsenus in editione Monumenti Ancyrani, in quo hoc nomen vario scriptum modo saepius reperitur, accurate de eo exponens ibique hunc locum Velleianum laudans solam attulit M A lectionem (p. 110 Ed. II, itemque iam p. 76 Ed. prioris, quae prodiit 1865). Quod iure factum esse restituendumque Velleio *Artauzdi* multa sane persuadent. Nam littera *z* clare etiam incisa Mon. Anc. lat. VI 11 *Artavazdis* (contra ibidem V 26 *Artavasdis*, 30 *Artavasdi*), vel Armenio scribendi genere Արտաւազդ *(Artavazd)*[1] commendatur; quod autem in brevius contracta quodam modo est nominis forma, comparaverim equidem Cic. Ad fam. XV 2, 2, ubi *Artuasdes* optimae memoriae a Wesenbergio usitatum *Artavasdes* praeferente iniuria reicitur, fortasse etiam Iustin. XLII 2, si modo recte ibi *Artoasdi* pro *artoadisdi* vel *arthoadisti* vel *ortoadisti* vel *ortodisti* restitutum est a Ruehlio.

II 102, 3 urbs, quam *τὰ Λίμυρα* Strabo adpellat (XIV p. 981 C), accusativo casu posita *Limyra* habetur in M, id quod in *Limira* abiit in A, *Limyram* edidit P. Auctore Ruhnkenio ponunt *Limyra*, — quo iure, dubites in eiusmodi vocalium *ι* et *υ* vicinitate, et quomodo I 4, 4 *Mytilenenque*, II 18, 3 *Mytilenaeorum*, II 53, 2 *Mytilenis*, ita *Lymira* Velleium scripsisse suspicere. Ac fortasse vel II 39, 2 et II 42, 3 secundum A vestigia[2] *Bythinia (-m)* edendum, licet II 4, 1 sine diversitate solita nominis forma *Bithynia* legatur.

His cognata est quaestio, quomodo urbium nominibus, quae *τὰ Μέγαρα* et *τὰ Ἀρτάγειρα* Graecis sunt, Velleius usus sit I 2, 2 et II 102, 2. Deficiente prorsus A *Megaram* P exhibet priore loco, *Artageram* A P posteriore. Coniungens haec, ut sunt coniungenda, inter se Madvigius[3] contendit

---

[1]) Cfr. E. Ciakciakius, Dizion. Armeno-italiano (Ven. 1837), p. 1499.

[2]) Cfr. Fechterus l. l. p. 21; Halmius altero loco scripturae discrepantiam non notavit.

[3]) Adv. crit. II p. 298 adn. 1; cfr. idem in Livii Ed. alt. II 1 praef. p. XXVI sq.

Megara et *Artagera* ex Heinsii Muretique coniecturis utique reponi debere. Mediam viam secutus *Megara* edidit Halmius et *Artageram.* Atqui aliunde quoque satis constat[1]) *Megara* primae, quam dicere consuevimus, declinationis nonnumquam fuisse Romanis idque vel ad *Artageram* defendendum satis valet. Itaque tuto utrumque tenebitur.

II 91, 1 *Phraates* editum est, ut antea a Krausio, ab Halmio, cum soliti essent P secuti edere *Phrahates,* id quod probaveris, ut fit exempli gratia in Iustino,[2]) nisi malis adeo *Prahates*, cui A scripturae aliquam multum Taciti favent codices Medicei Ann. II 1, 2. XI 10. (XII 10), atque etiam Horatianae memoriae haud spernenda pars Carm. II 2, 17. Epist. I 12, 27.

Ad alia transeuntes videamus nunc de particularum quarundam integritate. II 48, 5 *ad ultimum saluberrimas et coalescentis condiciones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit* [sc. Curio] non opus est *et,* quod ante *coalescentis* exstat, Gelenio auctore delere, si accipiatur ex frequenti Vellei usu[3]) pro ‚etiam'; similiterque II 84, 1 *navium haec magnitudo modica nec celeritati adversa, illa specie et terribilior* contra eundem Gelenium eiusque adseclas *et* expungentes licuerit defendere.

II 43, 3—4 *reliqua eius* [sc. Caesaris] *acta in urbe, nobilissimaque* [*nobilissima Cn.* cum Haasio Halmius] *Dolabellae accusatio et maior civitatis in ea favor, quam reis praestari solet, contentionesque civiles . . . quo notiora sunt, minus indigent stilo.* Vix necessario, quamvis sequantur Catuli Mariique, Dolabellae praenomine — cfr. II 85, 2 *M. Lucio,* at *Arruntio, Agrippae* —, particulas inter se respondentes agnoscere par est, ut II 3, 1 *privatusque et togatus,* II 77, 1 *Caesaremque et Antonium.* Atque etiam II 49, 4, ubi ceteroquin recte fere Gelenio auctore orationem constituit Halmius, ita potissimum explicari potest *ut deinde spretis omnibus quae Caesar postulaverat, tantummodo contentus cum una legione titulum reti-*

---

1) Cfr. Neuius, Formenl. d. lat. Spr. I² p. 479.

2) Cfr. Ruehlius, praef. p. XVII.

3) H. Felix, Quaest. gramm. in Vell. Pat. (Hal. 1887) p. 48. — Cfr. etiam II 7, 7. 129, 2. 90, 1, de quibus infra cap. IV et X agetur.

nere provinciae privatusque [*privatus* cum Gelenio Halmius] *in urbem veniret et se in petitione consulatus suffragiis populi Romani committeret decrevere*, eqs.

II 44, 1 *Hoc* [sc. Caesare] *igitur consule inter eum et Cn. Pompeium et M. Crassum inita potentiae societas, quae urbi orbique terrarum nec minus diverso quoque tempore ipsis exitiabilis fuit.* Non debebat ex Acidalii coniectura *cuique* (vel *quoique)* edi, neque ‚adtractio casus' iure in interpretationem adscita a Fritschio:[1]) arte coniungenda sunt cogitatione *nec minus* et *quoque*, ut evadat abundantia quaedam orationis simillima eius, quae cernitur II 95, 2, *nec non derecta quoque acie.*

Prorsus eodem porro pertinet I 17, 2, quo loco nihil opus est nisi ut aliquando recte distinguatur ita *historicos, et ut Livium quoque priorum aetati adstruas,* eqs. Nanciscimur *et . . quoque* verborum collocatione ut minus usitata ita haud intolerabili: cfr. II 104, 3 *non continentium*, *protinus quin adiicerent.* Atque etiam II 38, 1 . . *notavimus facilius ut quae partibus simul universa conspici possint* A P hoc modo sanandum arbitror . . . *facilius ut*, *quae partibus notavimus*, eqs. Transponendo opus esse perspexerat Acidalius, minus tamen recte videtur scripsisse, id quod probavit Halmius, *ut*, *quae partibus notavimus*, *facilius* eqs. *Facilius ut* in aliter constituta oratione retinuerat Ruhnkenius, cui hac de re immerito oblocutus est Kreyssigius.[2]) Prava igitur illo libri primi loco Vossii coniectura, quae Halmio imposuit, *historicos etiam, ut,* et ne transponere quidem ita oportet haec vocabula *historicos*, *ut et*, quae Burerii opinio Ruhnkenio placuit. *Et . . quoque* habet velut Sen. Nat. qu. II 11, 2. Ep. mor. I 4, 10.

Pronomen demonstrativum *hic* identidem, maxime sequente relativo, Halmius perperam expulit substituto in eius locum pronomine *is.*[3]) Nam traditur I 2, 2 *his artibus . ., quibus*, I 8, 5 *his*, *qui ita prodiderunt,* II 64, 1 *ab his, quos*

---

[1]) Üb. d. Sprachgebr. d. Vell. Pat. (Pr. Arnst. 1876) p. 21.

[2]) L. l. p. XXXI.

[3]) Etiam in Seneca Philosopho idem saepius usu venit. Prorsus consentio hac in re cum Schultessio Gertzii rationes improbante Phil. Anz. XVII p. 293.

miserat Antonius, II 80, 2 *his, quae aliis placebant*, II 87, 2 *ex his, qui contra eum arma tulerant:* quibus locis omnibus auctore Orellio pronominis *is* formas invexere et Kritzius et, — quamquam iudicio dissenserat Haasius —, Halmius, qui tamen in gemina oratione[1]) II 50, 3 *quibus hi se* (P, *hisce* A) *debent interponere, qui non parentem coërcere possunt* edidit recte, ubi item non defuerunt, qui *ii* ponere mallent. Porro II 41, 3 *idem postea admodum iuvenis, cum a piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab his retentus est, apud eos gessit, ut pariter his terrori venerationique esset neque umquam aut nocte aut die ... aut excalcearetur aut discingeretur, in hoc scilicet, ne si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret,* ter exstat *his*, semel ante relativum: ter praeter necessitatem — convenit Velleio hoc quodcunque est rudis sermonis — cum Orellio Kritzioque *iis* posuit Halmius, semel medio loco vel Haasius. Tertio loco supra adlatis exemplis satis firmato pro *his* P *hiis* habet A, eademque diversitas scripturae occurrit II 46, 1 ... *vetus par consulum, Cn. Pompeius et M. Crassus, alterum iniere consulatum, qui neque petitus honeste ab his neque probabiliter gestus est*, et II 62, 2 *Bruto Cassioque provinciae ... decretae, laudati quicumque his se* [ita P, *se hiis se* A, *se iis* Halmius] *exercitus tradidissent* ..., contra II 90, 2 *in quas provincias cum ... Romani exercitus missi essent* ..., *per annos ducentos in his multo mutuoque ita certatum est sanguine*, eqs. et II 98, 2 *(quippe legatus Caesaris triennio cum his* [sc. Thracibus] *bellavit ..) his* et A et P praebent.[2]) Edidere ubique eodem duce Orellio *iis* excepto Haasio, qui tamen — nescio, cur — II 46, 1 *iis* probavit et ipse. Duo denique accedunt loci, quibus A et P ita inter se differunt, ut *is* pronomen P, *hic* A habeat, quibusque A lectionem etiamsi nemo praetulit, reputatis eis, quae modo collegimus, simulque A auctoritate universa, praeferendam concesseris: II 39, 1 *Gallias ... saepe et adfectavimus et omisimus. Sed fulgentissimum C. Caesaris opus in his* (A, *iis* P) *conspicitur*, II 90, 4 ... *ut quae*

---

[1]) Cfr. etiam II 1, 5 ..*perduxit huc, ut.. dederetur hostibus.*

[2]) Corrigendus Halmii apparatus ex Fechteri collatione, l l. p. 27. 28.

[sc. provinciae] *maximis bellis numquam vacaverant*, *hae* (A, *eae* P) . . *etiam latrociniis vacarent.*

Progrediamur ad alia pronomina. II 84, 1 *vigebat in hac parte miles atque imperator*, *illa marcebant omnia* optime intellegitur non adiecto, id quod Vascosanum secuti vulgo ante *illa* adiciunt *in:* sicuti paullo infra *navium haec magnitudo* rectissime Halmius tenuit *haec* idem esse quod ‚huius partis', ita hic quoque *illa* potest esse ‚illius partis'.

II 103, 3 *itaque quod post Lucii mortem adhuc Gaio vivo facere voluerat atque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus*, *post utriusque adulescentium obitum facere perseveravit*, eqs. *Atque* lectio interpolata manifesto est P; propius accedit vel *quae eo* A ad id, quod in codice Murbacensi fuisse Burerii testimonio constiterit, *eoque.* [1]) Efficitur autem oratio bona et rotunda hoc ipso servato *eoque*, quod sprevere vulgo, recepit, at prave explicuit ‚et propterea' Kritzius, cum sit *quod* . . *facere voluerat eoque* . . *erat inhibitus* idem atque ‚quod . . facere voluerat et quo [sc. faciendo] . . erat inhibitus', relativum noto more Ciceroniano continuante demonstrativo, *inhibere*, ut solet ‚prohibere', ablativum casum regente.

II 87, 3 *Canidius timidius decessit*, *quam professioni eius*, *qua semper usus erat*, *congruebat.* Cludio pro *eius* scribenti *ei* immerito obsecutus est Halmius, cum cautius egissent Kritzius et Haasius.

II 108, 2 *occupatis igitur*, *quos praediximus*, *locis finitimos omnis aut bello domuit aut condicionibus iuris sui fecit. Quos* P, contra *quis* M A. Vehementer collaudandus Burerius, qui postquam narravit, quid haberet Murbacensis, addidit ‚et recte quidem: nam *quis* hoc loco pro *quibus* positum videtur'. A cuius iudicio iniuria discessere, vel cum Kritzius, qui et ipse pavide se gessit, non adtractionis modo illius exempla idonea (cfr. maxime Auct. ad Herenn. I 7, 11) adscripsisset, verum etiam recordatus esset ablativi illa forma Sallustium

---

[1]) Dubitat Burerius, sitne legendum *-que* an *-quod:* compendium scilicet scripturae perplexius in codice invenerat. Cfr. II 16, 4. 127, 4 diversas M A et P A lectiones, et quae infra cap. V de II 16, 4 dicentur.

Tacitumque usos, quibus adiungere possis historicos etiam Livium[1]) et Suetonium.[2])

II 116, 2 *quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus, quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant.* Ita A P; *quamvis* pro *quibusdam* cum proposuisset Bothius, qui Kritzio persuasit, *quamquam* edidit suo invento usus Halmius. At *quibusdam*, etiam Haasio adeo suspectum, ut deleret, bene se habet interpretanti ‚gewissermaſsen entgegengesetzt' potiusve ‚recht entgegengesetzt'.

II 84, 1 *hinc ad Antonium nemo, illinc ad Caesarem cotidie aliquid transfugiebat* optime M A, prae quo non solum *aliqui transfugiebant* P sordet, verum etiam *aliquis transfugiebat*, sicut apud novissimos editores Heinsio parentes legitur. Praeeunte Wopkensio *aliquid* recte defendit Kritzius. Vertas ‚eine Anzahl'. Conferri potest II 131, 1 *quidquid numinum.*

Ad universum orationis Velleianae colorem pertinens quaestio adiungatur. Cuivis vel obiter hoc volumen percurrenti sponte se ingerit mos etiam superioribus historicis fere familiarissimus in narratione vividiore omittendae, quae vocatur, copulae.[3]) Est autem, ubi invito Velleio dari videatur copiosius dicendi genus. Atque primum quidem II 76, 2 *inviolatam excedere Italia Caesar passus Fulviam Plancumque muliebris fugae comitem* ne minima quidem causa est, cur addatur, ut addidit Halmius, cum Cludio *est* post *passus.* Paullo durior videatur talis brevitas in enuntiatis relativis: tamen recte toleratur II 7, 5. 37, 5. Itaque ne his[4]) quidem locis, in quibus praeterea monendi aliquid restat, dubitaveris: II 99, 4 *illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum* [sc. Ti. Neronem], *ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias, visendi eius gratia †ad quem convenientes semper privato, si illa maiestas privata umquam fuit, fasces suos summiserint fassique*

---

[1]) Cfr. Vahlenus, Sitzungsber. d. Berl. Ak. d. W. 1889 p. 1054 adn. 1.

[2]) Cfr. Thimmius, De usu atque eloc. C. Suet. Tranqu. (Reg. 1867) p. 20.

[3]) Cfr. Kritzius ad II 55, 1.

[4]) Etiam in Surae fragmento I 6, 6 toleraverim *qui princeps rerum potitus.*

sint otium eius honoratius imperio suo. In sententia relativa non oportere scribi ⟨*sunt*⟩ *profecti*, ut Halmius, aut *profecti* ⟨*essent*⟩, ut Haasius voluerunt, exploratum est. Quod deinde Halmius ex Suet. Tib. 12 petitis verbis orationem ita resarcire conatus est *visendi eius gratia* ⟨*Rhodum deverterint*⟩ *atque eum convenientes* eqs., melius hoc putaverim *visendi eius gratia ad*⟨*pulsi at*⟩*que eum convenientes* eqs., quo prope quodam modo accessit Orellius hoc fere requirens *ut omnes, qui.. profecti.. appulissent, eum convenientes* eqs. Cfr. I 1, 1 *Cyprum adpulsus.* II 107, 2 *ripae suorum adpulsus est.*[1])

II 118, 4 *quippe ita se res habet, ut plerumque cuius fortunam mutaturus* ⟨*est*⟩ *deus, consilia corrumpat efficiatque, quod miserrimum est,*[2]) *ut, quod accidit, etiam merito accidisse videatur et casus in culpam transeat.* Ita edens Halmius *cuius fortunam mutaturus* ⟨*est*⟩ sumpsit ab editione Bipontina, quo loco *qui fortunam mutaturus (imitaturus* A) A P habent, unde rectius effeceris *quoi*[3]) *fortunam mutaturus*, non adiecto *est*, supervacaneo, si pro relativo accipias, falso, si pro indefinito, ut ex Vossii iam correctione *cui* edens accepit Kritzius, quorum utrum praeferendum sit, cum difficile sit diiudicatu, posteriore explicatione adhibita certe II 57, 2 sine mutatione conservari potest ita distincta oratio *sed profecto ineluctabilis fatorum vis cuius cum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit*, ubi *cuiuscum*⟨*que*⟩ cum Gelenio Halmius, aliter alii. Dativum casum habet Sen. Contr. X 5 (34) 20 *hos aiebat Severus Cassius*, *qui hoc facerent*, *similes sibi videri furibus alienis poculis ansas mutantibus.* Porro *et etiam merito* praebent M A, idque fortasse integrum obtinendum, non omittendum cum P *et* ac ne transponendum quidem, censeo, *etiam* post *merito* collato loco Ciceroniano De legib. III 2, 4 *quod et in iis etiam, qui nunc regnant, manet.*

Similiter denique II 87, 2 *fuitque et fortuna et clementia Caesaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eum arma tulerant, ab eo iussuve eius interemptus*, absque idonea causa apud

---

[1]) Ibidem *adpulso lintre.*

[2]) Parenthesi hoc enuntiatum incluseris; cfr. infra p. 24.

[3]) Eiusmodi formae apud utrumque Senecam saepenumero leguntur.

Halmium Haasiumque auctore Orellio adicitur *est*, quo recte abstinuerant superiores editores.

Orationem ceteroquin probe intellectam intruso vocabulo onerasse Halmius videtur II 111, 1—2 *senatorum equitumque Romanorum exactae ad id bellum operae: ⟨prompte⟩ pollicitati. omnia haec frustra praeparassemus*, eqs. Iure aspernatus est Hottingeri distinctionem fallacem *pollicitati omnia. haec*, iure quaecunque alii hariolati sunt: sed cur tandem negemus Velleium concisa brevitate de industria usum solum hic posuisse *pollicitati?*

Cadit tale aliquid etiam in II 72, 5 ... *cum Fortuna*[1]) *non electionem daret, perfugium ostenderet exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.* Inseruere ante *perfugium* Gelenium secuti *sed* recentissimi editores, cum sano iudicio contra iudicasset Kritzius, cui praeivit Ruhnkenius temeritatis illam rationem incusans.

Ut his locis petita orationis gravitas inculcandis vocabulis infringitur, ita II 89, 6 *bella sub imperatore gesta ... omne aevi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem fatigant* — quod si libere vertas, possis ‚unausbleiblich' adicere, — mutando infringi consentio cum Kritzio ideoque reicio et Acidalii *fatigent* plurimis et Vossii *fatigarent* Halmio probata, quemadmodum vel II 32, 1 in Q. Catuli voce ‚*si quid huic acciderit, quem in eius locum substituitis?*' vividius praesens — in vertendo utare verbo ‚gesonnen sein' — servare praestat cum Ruhnkenio aliisque, quam futurum secundum Vascosanum ponere cum Halmio.

Atque etiam II 115, 5 *semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum*, ubi Halmius *gloriosissimum* ex coniectura edidit, gravior, si rem recte perpendas, superlativo gradationem quodammodo excludens est positivus gradus, neque magis mutandum *gloriosum*, quam II 49, 3 *gloriosa.*[2])

II 91, 1 *quod cognomen* [sc. Augusti] *illi viro Planci sententia consensus universi senatus populique Romani indidit.*

---

[1]) Cfr. quae infra cap. X de II 82, 1 dicentur.

[2]) Cfr. supra p. 8.

Tot hic offensi sunt, vix ut quisquam defenderit, quod traditur, *illi viro*. Diversa sunt excogitata, recentissimis editoribus placuit fere *illi iure* Orellii. Tenuere *illi viro* Kreyssigius [1]) et Bernaysius. [2]) Et adici pronomini cum leni quadam vi, paene dixerim splendidioris soni gratia, *viro* more huic scriptori familiarissimo adparet ex II 8, 1. 28, 1 (ubi *viri* delebat Heinsius). 30, 3. 33, 3. 40, 4. 46, 2. 53, 3. 54, 3. 80, 1. 98, 3. 105, 2. 108, 2. 112, 2. 116, 4. 122, 2. [3]) Ceterum convenit meminisse talium, qualia sunt Phaedr. V 1, 11 *Et admiratus fuerat ingenium viri*, similiaque, ut Sen. Herc. fur. 1094. Thyest. 199, ubi *vir* [4]) pronominis fere locum occupat.

Pergamus enarrare, vindicare. II 27, 1 videndum, Pontius Telesinus, dux Samnitium, nonne a Velleio tamen dictus sit, ut traditur, *vir animi bellique fortissimus*, cum ediderit secundum Rhenanum *domi bellique* Halmius, temptaverintque alia alii. Iure pressit Kritzius et *animi fortissimus* [5]) et *belli fortissimus* [6]) per se dici posse, at quod cum Krausio haec ita coniungi censet, ut idem sit atque ,animo manuque fortissimus', non ζεῦγμα, quod vocant, sed ἓν διὰ δυοῖν (cfr. II 34, 1 *armorum laborumque patientissimis)* agnoverim: nam *animi bellique* videtur esse ,animi bellici'.

II 33, 3 *nam neque Pompeius . . quemquam animo parem tulit*, eqs., ex Acidalii coniectura *omnino* edidit Halmius, qui II 41, 1 *animo super humanam et naturam et fidem evectus* Lipsii *omnino* merito aspernatus est. [7]) Ne hic quidem quidquam mutandum esse non desunt, qui perspexerint; sed errasse censuerim Gruterum Kritziumque in explicando *animo*

---

[1]) L. l. p. L. Attulit praeter unum locum Ciceronianum Vell. II 8, 1.

[2]) Apud Haasium, Ed. II praef. p. XI. Conferri iussit aliquem locum Velleianum ibi non recte denotatum.

[3]) Maiore vi ut efferatur II 109, 5 *hunc virum*, efficit sequens *et hanc regionem*.

[4]) Similiter II 32, 2 *hominis verecundiam*.

[5]) Cfr. II 93, 1 *laetusque animi et ingenii*.

[6]) Cfr. I 3, 1 *acerque belli*.

[7]) *Omnino* pro *animo* perperam Acidalius etiam II 48, 4 (cfr. infra cap. VI).

et *parem* artius coniungentes, rectius *animo* et *tulit* coniunxisse Heinsium. Conferre iuvat Liv. IX 16, 19 *quin eum* [sc. Papirium] *parem destinant animis Magno Alexandro ducem, si arma Asia perdomita in Europam vertisset.*

II 46, 2 .. *Crasso bellum Parthicum iam animo molienti Syria decreta. Iam* inutiliter Heinsius; ut ab Halmio discedens accedam traditum *in* A P tutantibus, eo adducor, quod *agitare, volvere, volutare* tum dicitur *animo* tum *in animo.*

II 92, 2 *aberat* [*in*] *ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar* reducendum, quod Heinsio obsecutus expunxit Halmius *in:* est enim perinde dictum atque ‚dum ordinat', vel ‚occupatus in ordinando'.[1])

Aeque II 105, 2 .. *virum multiplicem in virtutibus* auctore Raphelengio ab Halmio ut aliis multis deletum *in* suam explicationem habet: docuit Kritzius exemplis ab Handio petitis Quintil. Inst. or. IX 4, 138. XII 10, 12.

II 33, 2 ... *cum Pompeius Lucullo infamiam pecuniae, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem obiiceret imperii, neuterque ab altero quod arguebat mentitus argui posset. Ab altero quod arguebat* a Burmanno sumpsit editor: habent A P *ab eo, quod arguebatur*, quam lectionem cum haud male tueatur Schoepferus *ab eo quod* pro *quod ab eo* dictum arbitrans, melius forsitan tueare vertens ‚in Bezug auf dasjenige, was Gegenstand der Anschuldigung war'. Cfr. II 45, 5 *insolentia paene argui potest,* eqs.

II 41, 1 *hic* [sc. Caesar] *nobilissima Iuliorum genitus familia et, quod inter omnis antiquitatis studiosos constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus*, eqs. *Antiquissimos* praebentibus A P in magna suspicionum copia *antiquitatis studiosos* ipsius est Halmii, optionem simul dantis pro *studiosos* scribendi *curiosos*, cum similiter *antiquitatis peritos* antea scripsisset Orellius. Quae via si probaretur, *antiquissim⟨orum haud insci⟩os (non insci⟩os)* — cfr. Ovid. Metam. XV 11 *veteris*

[1]) Cfr. Vahleni de Plauti Merc. 105 disputatio, Hermes XVII p. 596, quique ibi laudatur Munro ad Lucr. VI 333. Fortasse potest etiam comparari velut Horatianum illud Sat. I 9, 2 *Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.*

non inscius aevi — vel tale aliquid praeferrem; at praestiterit hoc loco ἐπέχειν: *omnis antiquissimos*[1]) Velleius intellegi videtur voluisse ‚auctores' vel ‚scriptores', id quod addi iussit Heinsius praeter necessitatem. Cfr. I 17, 2 (ubi item de historicis agitur) *quosdam veteres.*

II 53, 4 *quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in aetate et tanti et paene nostri saeculi viri fefellit quinquennium? cum a. C. Atilio et Q. Servilio consulibus tam facilis esset annorum digestio. Facilis* ex Gelenii coniectura edunt vulgo, sed potest defendi, quod legitur in A (hic *foelix* scriptum) et P *felix.* Saepe nimirum *felix,* maxime apud poetas, quorum sermoni plurima Velleium debere notum est, valet ‚fruchtbar', ‚erfolgreich', ‚erfolgverheißend': Vergilius Georg. I 54 *Hic segetes, illic veniunt felicius uvae;* II 81 (cfr. Hor. Ep. II 13, 14) *ramis felicibus;* IV 329 *felicis . . . silvas;* Aen. VI 230 (cfr. VII 751) *felicis olivae;* VII 725 sq. *felicia Baccho Massica,* porro Georg. I 276 sq. *dies . . felicis operum,* similiterque ibid. 284 sq. *felix* [sc. dies] *et ponere vitem Et prensos domitare boves et licia telae Addere;* Ovidius Am. I 3, 19 *materiem felicem;* Metam. X 247 sq. *niveum mira feliciter arte Sculpsit ebur;* Valerius Maximus I prooem. *felici superiorum stilo;* Seneca De tranqu. an. 7, 5 *facultas dilectus felicioris;* denique ipse Velleius I 103, 5 *adeo ut nec plus sperari potuerit nec spei responderi felicius.* Prope igitur accedit hoc loco *felix* ad id, quod scribendum Lipsius coniecit, *non fallax:* duo Servilios consules errorem excludere putat Velleius. Ceterum consilium patet in plene perscriptis et hic et supra § 2 horum Serviliorum praenominibus; neglexerunt recentissimi editores et ne adnotavit quidem scripturae diversitatem Halmius, sed habent § 2 *Publio* A P, § 4 *Quinto* certe A, bene servatum ab Orellio, *Qu.* P, ubi praecedens *et,* in A omissum, quam genuinum sit, dubitaveris.

II 63, 1 *Interim Antonius . . per aversa castrorum proruto vallo militibus receptus est* minime requiri Heinsii ⟨*a*⟩ *militibus,* quod cum aliis tum etiam Halmio placuit, Kritzio adsentior. Minus certam rem esse II 39, 1, ubi *Gallias primum* ⟨*a*⟩

---

[1]) II 121, 3 *omnis eminentissimos hostium duces.*

Domitio Fabio⟨que⟩, *nepote Pauli .. intratas* eqs. secundum Aldum adiecto *a* apud Halmium legitur, concedendum: tamen, quae est Ursini coniectura, *nepoti* reposito dativis uti praestare eidem dederis Kritzio.

II 86, 2 *at*[1]) *Sosium L. Arruntii prisca gravitate celeberrimi fides*, *mox*, *odium clementia eluctatus sua*, *Caesar servavit incolumem. Odium clementia eluctatus* Madvigii[2]) est, *diu clementia*, ante quod vulgo *cum* addunt, *luctatus* AP impugnantis ideo, quia diuturnitas luctationis non apte commemoretur, cum clementia luctatus sua Caesar non sit, sed ei — Vellei iudicio — libentissime paruerit, fervidius illius quidem argumentantis in hostili duce. Immo vero *diu .. luctatus* mutare fas non est, et vel de eo ambigas, sitne omnino necesse *cum* inserere, quamvis eo compellere quempiam queant loci a Ruhnkenio adlati II 63, 3. 115, 2, si quidem poetarum exempla (cfr. maxime Sil. Ital. IV 583), qualia exstare eundem Ruhnkenium non fugit, in Velleio multum valent.

II 89, 1 *Caesar autem reversus in Italiam atque urbem occursus quo favore omnium hominum aetatium ordinum exceptus sit*, eqs. In hac AP lectione aliquid excidisse acute perspexit Halmius; magis tamen, quam id, quod in textu posuit, *quo favore hominum omnium ⟨generum⟩*, *aetatium*, *ordinum*, mihi id probatur, quod collato Cic. Pro Pis. 96 in adnotatione proposuit *omnium hominum ⟨omnium generum⟩*, *aetatium*, *ordinum*. At vero minus circumspecte idem iis sese adgregavit, qui Lipsio auctore ⟨*quo*⟩ *occursu* edidere pro *occursus*. In quo vindicando[3]) utique facio cum Kritzio. Duplicis is genitivi[4]) idonea exempla Velleiana attulit, sed

---

[1]) De hac particula ne dubitaveris: respondet hic fere Graeco δέ.

[2]) Adv. crit. II p. 306 sq.

[3]) II 36, 2 .. *neque ullo in suscepto carminis sui opere minorem Catullum* scripsit Halmius, cum vix oporteat tanto opere recedere ab AP scriptura *in suspecti operis sui carmine*, sed sufficiat, id quod Lipsius voluit, *in suscepti operis sui carmine*, ‚in der Dichtungsart, deren Pflege er sich zur Aufgabe gemacht hatte‘.

[4]) Potuit in his enumerare II 7, 3 *memoria ipsius saevitiae* [sc. Opimii], ubi recte abstinuit Cludii inutili coniectura, quam Orellius probaverat quamque secutus etiam Halmius edidit *istius saevitiae* (et opponitur *ipsius saevitiae* cum vi *civilis misericordia*); potuit vel II 94, 4, si quidem

vel triplicis,[1]) qualis Halmiana illa correctione accepta evadit, habes II 26, 1 *partium eius viri hostium exercitum.*

II 91, 2 *nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Caepio et hoc ante erat pessimus.* Huius A P scripturae strenuus atque diligens defensor Ruhnkenius exstitit frustra: nam pergunt fere usque ad ipsum Halmium cum Gelenio *ante hoc* edere. Atqui quod a Kritzio contra dictum est sententiae vim niti arguta oppositione verborum *sine hoc* et *ante hoc*, eamque rem nullo pacto pati praepositionem altero loco postponi, id vero, meum sensum si consulo, inane est: immo in huiusmodi chiastico, quem vocamus, ordine *(sine hoc — hoc ante)* ultimum membrum suum vel maxime habet pondus.

II 111, 2 *itaque ut praesidium militum res publica ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium.* Variis haec temptata sunt coniecturis, *ultimum* ex Lipsii pro *militum* edidit Halmius; defendit cum Boeclero Kritzius *praesidium* et *militum* coniungens argutiasque efficiens has milites collectos, qui rei publicae praesidio essent, ipsos sine praesidio futuros fuisse, nisi Tiberio duce. Quidni coniungamus potius *militum ducem*, quod quominus fiat paullo impeditior oratio in hoc certe scriptore non obstat, *praesidium* intellegentes (cfr. II 103, 1) rei publicae?

III.

Proprius Vellei est sententiarum intermediarum multus usus,[2]) quem non solum ipsa frequentia, verum etiam intexendi rudi et impolita nonnumquam ratione in pravum usque excedere facile sentitur. Quas a continua oratione

---

tenendum ibi est *cuius* [sc. Ti. Neronis] *rex quoque Parthorum tanti nominis fama territus* eqs. (cfr. II 76, 1 *cuius ob singularem cum eo amicitiam partium adiutor fuerat*), non cum Ruhnkenio, quem ipse sequitur secutusque etiam est Halmius, pro *cuius* ponendum *quin*, qua in re diiudicanda attendatur velim Heinsii de hoc loco disputatio.

[1]) Ex exemplis Kritzianis ad II 89, 1 et II 50, 4 adlatis huc pertinent Sall. Iug. 75, 1 et Caes. De b. Gall. II 17, 1.

[2]) Altera adeo tali interponitur sententiae sententia II 58, 2.

cum studio internosci ad recte intellegendum Velleianum opus magni refert, operamque dedere, ut certo designarent, editores, quorum novissimus Halmius peculiarem huic rei curam navavit. Est tamen, ubi secus adhuc iudicari videatur.

Atque minoris momenti sunt haec. Ut I 17, 3 in media sententia *(pace P. Crassi Scipionisque et Laelii et Gracchorum et Fannii et Servii Galbae dixerim)* editur, ita I 7, 4 *pace diligentiae Catonis dixerim* et II 129, 3 *pace maiestatis eius dixerim* simili modo insigniri consentaneum est. Quod si libeat diversis signis hoc modo uti, ut — . . . — lenius, (. . .) durius interiectae sententiae notentur, in tali oratione utare illis.

Porro II 1, 4 — *magni nominis virum* [1]) —, II 25, 3 — *pro quanti mox belli facem!* —, II 28, 3 — *et utinam ultimus* [2]) —, II 40, 4 — *et hoc sane nimium fuit* —, II 69, 6 — *rem immanis operis* [3]) —, II 83, 1 — *quippe haec semper impugnabat* [4]) —, II 99, 2 — *cuius causae mox detectae sunt* —, II 130, 4 — *quod miserrimum est* [5]) — commode distinctum iri verbo moneo.

Gravius est, quod I 13, 3 maioris ambitus parenthesis agnosci debet haec *(neque enim quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit semperque aut belli aut pacis serviit artibus; semper inter arma ac studia versatus aut corpus periculis aut animum disciplinis exercuit.)*, quo facto praecedentia eiusdem § verba *diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia: quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinae et auctor et admirator fuit*, *ut Polybium Panaetiumque, praecellentes ingenio viros, domi militiaeque secum habuerit*, ut voluit scriptor, excipiuntur sequentis initio his *Mummius tam rudis fuit*, eqs. Similia sunt tum

---

[1]) His verbis iniuria quondam in dubitationem vocatis ad cognominem Pompeium Magnum adludi iam certum videtur.

[2]) Cfr. II 105, 1; infra cap. VII.

[3]) De grammatica ratione cfr. Georgesius De eloc. Vell. Pat. (Lps. 1876) p. 59.

[4]) Immerito a Ruhnkenio hic discessere editores.

[5]) Cfr. supra p. 17 adn. 2.

II 33, 3. 52, 2. 60. 3,[1]) tum II 42, 3.[2]) 45, 1. 66, 3. 102, 3. 121, 1—2.

Atque etiam II 7, 4—5 satius videtur ‚interpositam‘ narratiunculam ita saepire *(rei tantae parum ad notitiam pertinens interponetur: hic est Opimius, a quo consule celeberrimum vini Opimiani nomen; quod iam nullum esse spatio annorum colligi potest, cum ab eo sint ad te, M. Vinici, consulem anni centum quinquaginta unus).*[3]) Pro *interponetur* dubio iure quod edunt — nimirum quia Velleius in transitionibus ita loqui soleat —, Heinsianum *interponatur*, eo etiam minus nunc opus fuerit.

Enimvero saepius intermedia probe agnita a supervacuis mutationibus arcent. Velut II 1, 5 distingue *sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia (quippe*[4]) *non recusando) perduxit huc, ut . . . dederetur hostibus,* supersedere poteris mutationibus Madvigii Halmiique: nam ad voces *non recusando* non oportere quidquam addi adsentiente Mommseno iam demonstraverat Haasius.[5])

II 6, 4 distinxerim . . . *quem* [sc. Fulvium Flaccum] *C. Gracchus (in locum Tiberii fratris triumvirum nominaverat eum) socium regalis adsumpserat potentiae*, qua distinctione[6]) speciosa Halmii coniectura *nomine re autem* pro *nominaverat eum* ponentis, probata ab Orellio, Kritzio, Haasio, refutatur.

II 29, 2—3 *fuit hic* [sc. Pompeius] *genitus matre Lucilia, stirpis senatoriae, forma excellens (non ea, qua flos commendatur aetatis, sed ex dignitate constantiaque in illam conveniens amplitudinem fortunamque eius*[7]) *ad ultimum vitae comitata est*

---

[1]) Cfr. Langius Z. Sprgebr. d. Vell. Pat. II (Pr. Stett. 1886) p. 24.

[2]) Cfr. infra p. 32.

[3]) CLI AP; defendit Kaiserus De fontib. Vell. Pat. (Berol. 1884) p. 14; CL cum Aldo Halmius.

[4]) Cfr. supra p. 24. — In parenthesibus inferendis omnino particula *quippe* Velleio nihil frequentius.

[5]) Ed. II praef. p. VIII.

[6]) Similiter iam Froehlichius, qui tamen verbis *triumvirum nominaverat eum* parenthesin terminavit.

[7]) Recte tuetur Krausius, cum in sequentibus facile intellegatur *eum*.

diem), innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eqs. Ita si orationem ordinaveris, et per se evadet, quamvis etiamnunc impedita, aliquanto concinnior, neque opus est variis mutationibus, velut Haasius et Halmius parenthesi non posita *sed ea* pro *sed ex* sumentes a Burmanno, *eum* pro *eius* a Lipsio, simulque *quae* ante *in illam* addentes cum Aldo ne sic quidem claram et perspicuam nancti sunt sententiam.

II 34, 3 *per haec tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, vir novitatis nobilissimae et ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui⟨que⟩ effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, consul . . . aperuit. Qui⟨que⟩* cum Oudendorpio scripsit Halmius pro *qui* A P, quod necessarium non puto, pro parenthesi habens *qui effecit, ne . . vinceremur.*

II 105, 1 . . *cum omnem partem asperrimi ac periculosissimi belli Caesar vindicaret, in iis, quae minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui — tum legatus patris eius — in Germania fuerat, praefecisset*, eqs. Sine mutatione haec ita constituerim. Atque ne pro *vindicaret, in iis* Cludii *vindicaret sibi, iis* poneret in textu Halmius, satis cavisse debuerat adnotatio Kritzii nixa Schoepferi. Suum autem obtinet locum *tum* A P, pro quo *iam* continua oratione edebatur de Gruneri sententia. Cfr. I. 10, 1 *tum rex Syriae.* II 46, 4 *tum quaestor.*

II 125, 4 *quo quidem tempore ut pleraque ignovit Germanicus, ita Drusus, qui a patre in — id ipsum plurimo quidem igne emicans — incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus ancipitia sibi ⟨maluit⟩ timere quam exemplo perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit*, eqs. Spes est hoc modo fere expediri locum, quem nondum expeditum esse vere pronuntiavit Halmius, in constituendo eo Madvigium potissimum secutus ipse. Atque *Drusus* cum certa sit emendatio Gelenii *Brutus* praebentibus A P, paullo ante num iure *ignovit* cum editione Bipontina scripserit Halmius, ubi *ignave* habent A P, dubitari sane potest, et quamquam res ipsa docet praestare illud Ruhnkenii correctioni *egit gnave* restituentis, tamen vel hic aliquam fortasse partem veri adsecutus est, fuitque primitus *ign⟨oscendo egit gn⟩ave.* Iam sequuntur Madvigiana. Primum

is[1]) alio missum esse Drusum monens *in id ipsum plurimo quidem* A P ferri posse negavit scripsitque, id quod apud Halmium legitur, *in diversum plurimoque idem*, cum *plurimoque idem* iam propositum esset ab Heinsio: at vero perspecta sententiae parenthesi, ut supra indicavimus, interruptae indole facile illud reicitur.[2]) Egregie deinde idem *maluit* inserto orationem instauravit prorsusque ex consuetudine Vellei, quam clare produnt II 17, 1. 50, 1. 54, 3. 57, 1. 60, 2. 66, 1. 71, 1. 85, 3. 91, 4. 102, 3. 119, 4: sed quod pro *timere*, sicut M A habent, cum manifesta interpolatione *tam re* sit in P, *tenere*[3]) scribi iussit, fefellisse eum videtur opinio. Dignum est, quod animadvertatur, adnotasse Halmium pro *tenere* sese malle *audere:* re vera nihil mutandum est, si quidem certo demonstravit B. Schmidtius[4]) exemplis Annaeanis[5]) posse *timere* significare etiam ‚zu fürchten haben', ‚es zu thun haben mit . .', ‚es aufnehmen mit . .', quod quomodo in nostrum quoque conveniat locum, sponte elucet. Aeque autem elucet *maluit* longe facillime excidere potuisse ante *timere.*

IV.

Spissam iam attingimus quaestionem, pertinentem ad examinandas correcturas quasdam, codici Murbacensi quas tribuere liceat ex Burerii notis discrepantibusque A P lectionibus.

---

1) Adv. crit. II p. 312.

2) Attendatur velim *missus erat* quodammodo opponi videri iis, quae sunt § 1 *exercitus*, *qui in Germania militabat praesentisque Germanici imperio regebatur,* referri ad *legiones*, *quae in Illyrico erant*, ibidem memoratas. Neglegentius sane hoc fit. — An putas *id ipsum* ita posuisse Velleium, ut pro uno duos illos tumultus haberet, quia simul fuissent? Quod si fuerit, sic potius distinguendum *in id ipsum — plurimo quidem igne emicans — incendium m. t. m. e.*

3) *Sumere* proposuit Bootius, Mnemos. N. S. V p. 173; addo ibid. XI p. 420 *ancipitia obire maluit quam timere exemplo pernicioso* scribendum censuisse Cornelissenum.

4) N. Jahrbüch. f. cl. Philol. XCIII p. 552.

5) Sen. Herc. fur. 40 sq. 454. Herc. Oet. 270. Apocoloc. 5, 3.

In paucis memorabilis est de vetusto codice relatio II 102, 3, ubi *deinde reluctatus invitusque revertens in Italiam*, eqs. exstat in P, haec: ‚Exēp. vetustum sic habet, ut nescias an *diu reluctatus*, seu potius *de reditu luctatus*, legendum sit: mihi tamen prior lectio non usque quaque displicet‘. Suum in referendo iudicium, suamque coniecturam Burerium admiscuisse adparet: ipsius autem codicis haec fuerit scriptura *de* (*diu* suprascr.) *reluctatus*. Inde is, qui in Rhenani usum codicem descripsit, videtur effecisse *diu de re luctatus*, sicut habet, qui eius exemplo usus est, Amerbachius. Minime autem probanda est Rhenani coniectura pro *diu de* satis habentis *deinde* scribere, quamquam certissima visa est Kritzio, probavitque Halmius: immo consideratius egerunt qui *diu* tenuere, quorum conamina potiora adlata sunt ab Halmio, *dein diu reluctatus* Acidalii, *diu deinde reluctatus* Ruhnkenii. Atque hoc quidem, quod compluribus placuit editoribus, rectum fere videatur, nisi quod maluerim *de⟨inde⟩ diu reluctatus*, cum sic vel referatur *deinde* commodius ad *revertens*, quo relatum iudicio voluit Kritzius.

Suprascriptae, quae in A saepius inveniuntur, lectiones in fonte Murbacensi eodem identidem modo exstitisse pleniorisque hic illic orationis vestigia videntur conservasse. Velut II 111, 4, quo loco editum est ab Halmio *quas nos primo anno acies hostium vidimus! quantis prudentia ducis opportunitatibus fruentes eorum vires universas elusimus, ⟨fudimus⟩ partibus!* Habet P *furenteis in eum vireis universas evasimus partibus*, ad quod adnotavit Burerius ‚*furēteis in eū vireis universas*. ex. vet. ha. *furēteis eorū vires universas evasimus &c.*‘, A autem[1]) *furentis eorum viris universas evasimus* (*eius imus* suprascr.) *partibus*. Ex Burerii nota certi nihil fere concluditur nisi hoc *eorum*, non *in eum*, habuisse Murbacensem, quandoquidem satis constat in adferendis vicinis eis, quae spectat maxime, vocabulis securius eum rem egisse. Atque *furenteis* utcumque ortum est — fortasse fuit *furentes* (*i* suprascr.) primitus, si-

1) Cfr. Fechterus l. l. p. 29. Apparatus Halmianus hic parum accurate factus.

militerque deinceps $\overset{i}{\textit{vires}}$ —, *fruentes* cum Orellio scribere neque oportet neque convenit: optime se habet *furentis eorum viris,* confirmaturque adeo eo, quod in extremo hoc capite est, *intra se furens viribus hostis.* Deinde opponi inter se iure statuens *universas* et *partibus* minus tamen recte edidisse Halmius videtur *elusimus,* ⟨*fudimus*⟩, ab Haasio hoc, ab alio quodam[1]) sumens illud. Nam etiamsi ob modo dictam causam non nimis urgeas *evasimus* ipsi quoque Murbacensi a Burerio dari videri, necessaria quae sunt duo verba, nonne lateant in A ita, ut fuerit *universas evasimus, elusimus partibus?* Ducebatur nimirum, — ita accipias Vellei narrationem — consilio bellum a Romanis, universum hostem, quem superiorem futurum praevidebant, sine damno evadentibus, sicubi tamen fieri poterat, parvulis proeliis concursationibusve eludentibus. Cfr. Liv. XXII 18, 3—4 *ea* [sc. Hispanorum cohors] *adsuetior montibus et ad concursandum inter saxa rupesque aptior ac levior cum velocitate corporum tum armorum habitu campestrem hostem, gravem armis statariumque, pugnae genere facile elusit. ita haudquaquam pari certamine digressi, Hispani fere omnes incolumes, Romani aliquot suis amissis in castra contenderunt.*

Eodem forsitan pertineat II 128, 1—3 *nam et illi antiqui,* ⟨*qui*⟩ *ante bellum Punicum abhinc annos trecentos Ti. Coruncanium, hominem novum, cum aliis omnibus honoribus tum pontificatu etiam maximo ad principale extulere fastigium ...., profecto hoc senserunt, in cuiuscumque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.* De initio huius prolixissimi enuntiati rectius constituendo qui dudum *antiqui,* ⟨*qui*⟩ reposito bene meritus erat Halmius,[2]) in editione lapsus est id, quod in P ante *bellum* legitur *primum,* in A per errorem, ut videtur, excidit, omittens lectore prorsus non admonito; quod autem *antiqui ante* exhibet P, contra *primi ante* A, subesse $\overset{primi}{\textit{antiqui}}$ *ante* videtur codicis Murbacensis scriptura, et quoniam primus ex plebe pontifex maximus creatus est

---

[1]) Cfr. Bibl. philol. I p. 42.

[2]) Zeitschr. f. d. Altwsch. 1837 p. 900 sq. adn.*

Coruncanius,[1]) restituerim ita *nam et illi antiqui, ⟨qui⟩ primi ante primum bellum Punicum*, eqs. Cfr. II 28, 3 *primus ille .. invenit.*

Quid porro iudicetur de II 25, 2, quo loco P praebente *felici denique circa Capuam eventu Scipionem Narbonumque* (recte M A *Norbanumque) consules superat*, adnotatum est a Burerio exemplar vetus habere *felici deinde circa Capuam eventu*, id quod editores sequuntur? Longe Burerium remotum fuisse ab ea, quam in eiusmodi re efflagitare nosmet consuevimus accuratione iamdudum observatum est, cumque *dein denique* expuncto *dein* ad P lectionem accedens habeat A, ipse codex Murbacensis habuerit *de*[niq.]*inde*, ut legendum sit coniunctim *dein denique.* Aptissimum certe est *denique*, quoniam de invadendi cunctatione Sullana pluribus modo exposuit Velleius, diciturque similiter *deinde postremo* et *deinde ad extremum* a Cicerone.

His adiungatur II 7, 7 *In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim* (fortasse rectius *numerarim* A)[2]), *quod extra Italiam colonias posuit. id maiores ... diligenter vitaverant et civis Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverant. Et .. revocaverant* pro *ut .. revocaverint* P Acidalium secuti edunt, id quod repertum in A *et .. revocaverint* confirmare cuipiam videatur. Re vera in codice ita scriptum fuerit [et]*ut .. revocaverint*, nisi potius *ut* excidit post — *nt* effectumque est ex solo codicis *et* mutando *ut* in P: quod utcunque se habet, emendare par est *ut et* (= etiam) .. *revocaverint*, id quod dubitanter iam A lectionis ignarus proposuit Burmannus. Cfr. II 11, 3. 28, 2. 3. 29, 5. 85, 6, atque etiam I 18, 1. II 9, 2. 69, 4. 87, 1 *(adeo ut).*

V.

Est eorum, nunc quae tractaturi sumus, cum materia modo tractata interior quaedam coniunctio; videbimus enim de turbata interdum oratione, quarum turbarum origo

[1]) Cfr. Liv. Epit. XVIII.
[2]) Cfr. Milkauius l. l. p. 44.

saepius certe a correcturis secus aliquando enodatis digestisve repetenda est.[1]

Ordiamur a loco pluribus nominibus memorabili. Etenim I 12, 1 transponendo opus esse perspexit Madvigius, ubi legitur in A P *Universa deinde ut praediximus instincta in bellum Achaia, cum pars magna eiusdem Metelli Macedonici virtute armisque tracta erat, .. destinatus ei bello gerendo consul Mummius.* Reliqua ut prius tangamus, praenomen *L.* ante *Mummius* auctore Stangero inseruit Halmius, quo tamen careri potest; deinde pro *cum .. tracta* Aldo auctore edunt *cuius .. fracta,* pro quo malim *cu<ius tu>m*[2] .. *fracta.* Verba *ut praediximus* loco non suo tradi accurate interpretatus illa .. *immani etiam Achaeos rebellare incipientis fudit acie* (supra 11, 1) qui evicit Madvigius, transposuit post *pars magna,*[3] idque Halmio persuasit. Magis vero convenit post sequens demum ponere vocabulum *eiusdē,* unde procliviore profecto fuit anticipaturus errore, qui *deinde* perscripserat. Ceterum totum hoc enuntiatum *cu<ius tu>m pars magna eiusdem, ut praediximus, Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat,* pro parenthesi videatur habendum.

I 17, 5 *huius ergo recedentis in quodque saeculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium par et in emolumentum causas cum saepe requiro, numquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse veri similes, inter quas has maxime.* Haec loci obscurioris lectio Halmiana diversas ob causas displicet. Primum non debebat Madvigii *saepe* pro tradito *semper* recipere, etiamsi exstat I 16, 1, quoniam apte explicatur illud ‚regelmäſsig', ‚immer wieder'. Deinde vero, id quod gravius est, initium nondum perpolitum atque absolutum est. Ac P quidem[4] *huius ergo praecedentisque seculi ingeniorum similitudines congregantis et in studium* eqs. quam

---

[1] Cfr. — nec tamen sine cautione — Kritzius Prol. p. CXIV sq., Madvigius Adv. crit. II p. 301 sq.

[2] Cfr. II 65, 2 *tur* A P, *tu<m igitu>r* correxit Halmius.

[3] Adv. crit. II p. 298.

[4] Manca hoc loco Halmii est adnotatio critica.

insipiens interpolatio sit, quamquam non intellexit[1]) Burerius, per se adparet et ex ipsius Murbacensis colligi potest scriptura ab illo relata *huius ergo recedentis mq. seculū ingeniorum similitudines congregantesq. se et in studium* eqs. Cum qua fere congruit A, nisi quod post *huius ergo* ibi sequitur[2]) [*recentisque saeculum*] *~~reccedentis inq. saeculorum~~*, neglegenter, ut videtur, primo scriptum impellente in errorem *ingeniorum* vocabulo, neglegentiusque deinceps emendatum. *In ⟨quod⟩que* Sauppio auctore edidit Halmius, quo melius sane foret, id quod voluit Madvigius,[3]) *in ⟨suum quod⟩que.* At parvula traiectione haec persanentur: *huius ergo recedentisque in saeculum* (‚Zeitalter‘) *ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium* eqs.

II 16, 4 *caput imperii sui Corfinium legerant atque appellarant Italicam. Legerant atque appellarant* ab Orellio inventum est; Murbacensis scripturam optime reddidisse videtur A *legerantq. appellarent, legerantq.* solum exhibente P, in Burerii vero *legerant quod appellarent* merito suspecto viso *quod* etiam Halmio, cuius originem in voculae *-que* compendio quodam cerni conieceris.[4]) Habuit vel ipse Murbacensis vel eius exemplar fortasse [*appellarent*] *legerantq.:* certe scribendum *legerant appellarantque,* sicut — praeter locum modo tractatum I 17, 5 — II 123, 1 *eum simulque* verum est, *eumque simul* habet A.

II 42, 3 . . *in Bithyniam*[5]) *perrexit* [sc. Caesar] *ad proconsulem Iuncum (is enim cum Asia eam quoque obtinebat) petens* eqs. Parenthesi inclusa ita exstant in A P *cum idem enim Asiam eam quam obtinebat,* est autem secutus in restituendo Halmius editionem Bipontinam, excepto eo quod *is* audacius scripsit, ubi *idem* exhibet illa. Veri videatur similius *cum Asia enim idem eam qu⟨oque provinci⟩am obtinebat.*

---

[1]) Cfr. eius verba: ‚Hic ideo‘ inquit ‚vetusti codicis formam lectori proposuimus, ut videat quibus laboribus Velleius a mendis, quibus scatebat innumeris, fuerit repurgandus‘.

[2]) Cfr. Fechterus l. l. p. 15 adn. 1.

[3]) Adv. crit. II p. 299.

[4]) Cfr. supra p. 15 adn. 1.

[5]) Cfr. supra p. 11.

VI.

Voluminis Velleiani speciem, qualem repraesentat Murbacensis codex, deformatam esse intrusis alienis contenderunt haud raro. Halmius autem quamquam Haasii Kritziique[1]) exemplo bene memor festinationis auctoris neglegentiaeque a nimia quorundam in resecandis, quae superflua perperamve diversis locis repetita scilicet viderentur, plerumque se sustinuit temeritate, tamen et ipse in hoc genere fuit nimius. Sed priusquam ad certo refellendas eius in removendis talibus, quae consilio interpolatoris, non scribae errori, imputasse videatur, rationes nos convertamus, videamus de singulari Surae, quod legitur I 6, 6, fragmenti condicione, id quod cancellis, quibus Delbenii iussu inclusum est, liberare vel maxime sane dubitaveris. Alieno loco haec legi certum est: a Velleio omnino non posita esse in opere suo ac pro glossemate utique habenda aeque certum vix existimaveris.[2]) In misere nunc lacera prima voluminis parte Velleium alios auctores nominatim citasse documento est I 7, 3-4, ubi discrepantem a sua Catonis opinionem referens castigat. Quod cum ita sit, alicubi — conieceris infra alicubi,[3]) in narrationis mora ipse dum respectat, — certo consilio haec Surae, aetatis ignotae scriptoris,[4]) de populorum orbis moderatorum temporibus verba eum adposuisse eaque alieno loco[5]) aetatem tulisse certe non ab omni abhorret similitudine veri.

Ut tamen hoc relinquamus, I 16, 3 *una neque multorum annorum spatio divisa aetas per divini spiritus viros, Aeschylum Sophoclen Euripiden, inlustravit tragoediam;*[6]) *una priscam illam et veterem sub Cratino Aristophaneque et Eupolide comoe-*

[1]) Cfr. huius Prol. p. CXIII sq.

[2]) Et noluere Velleio adimere complures, inter quos Scaliger et Vossius.

[3]) Post I 6, 2 transposita voluit minus apte Scaliger.

[4]) Cfr. de eo Mommsenus, Rh. Mus. N. F. XVI p. 282 sq.

[5]) Maiorum turbarum vestigia non desunt; cfr. inprimis II 7, 7 sq. editionis Halmianae.

[6]) *Tragoedias* AP, quod forsitan defenderis: cfr. Martinus l. l. p. 14 sq.

diam; ac novam [comicam] Menandrus[1]) *aequalesque eius ⟨non⟩ aetatis magis quam operis Philemo ac Diphilus et invenere intra paucissimos annos neque imitandam reliquere.* Neque eiciendum secundum Aldum *comicam* neque corrigendum secundum Grunerum *comoediam*: *nova comica* intellegenda, id quod in hac praesertim oratione facile fit, ‚poesis‘, neque audacius dicitur quam verbi causa II 126, 3 *meridiano.*

II 27, 6 *felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum circensium honoravit memoria, qui sub eius nomine [Sullanae] Victoriae celebrantur,* inducendi cum Heinsio *Sullanae* causa idonea deest. Minime offendunt coniuncta *sub eius nomine* et *Sullanae,*[2]) animadvertendumque, id quod monet L. Friedlaenderus,[3]) Sullanae Victoriae ludos discerni solitos esse a ludis Victoriae Caesaris postmodo institutis.

II 48, 4 de C. Curione: . . . *cuius animo [voluptatibus vel libidinibus] neque opes ullae neque cupiditates sufficere possent.* Quae Grutero obsecuti recentissimi editores tamquam glossam delevere num integra servare liceat pro instrumenti, qui vocantur, ablativis habenda cum Orellio, sane dubito: pro dativis potius habuerim finem significantibus; alioquin proclive foret suspicari Velleium scripsisse *cuius animo voluptatibus ⟨s⟩uet⟨o et⟩ libidinibus,* eqs., sicut est apud Sallustium Hist. II 67 D. *genus militum suetum a pueritia latrociniis,* similiterque ibid. II 80 D. Verg. Aen. V 414.

II 65, 2 *consulatumque iniit Caesar . . . post urbem conditam [abhinc] annis septingentis et novem, ante duos et septuaginta, quam tu, M. Vinici, consulatum inires* quod auctore Gelenio deletur[4]) *abhinc*, forsan abundanter — ut habet II 23, 3 *deinde post,* II 117, 1 *saltem tantummodo* —, Velleius vocabulis *post urbem conditam* adiunxerit, quomodo *inde abhinc* composuit Pacuvius 21 R., quo de conferendus Lachmannus ad Lucr. III 956.

---

[1]) Ita P; praetuleris cum Halmio (adn. cr.) *Menander* A.

[2]) Cfr. I 11, 1. 15, 4. II 69, 5; II 23, 6.

[3]) Apud Marquardtium, Röm. Staatsverw. III^2 p. 502 adn. 12.

[4]) Servarat argumento nullo addito Orellius, scripseratque, quo nihil opus, *annos* pro *annis.*

Certius rursus iudicium fieri potest de II 126, 3 *diffusa in orientis occidentisque tractus et quidquid meridiano aut septentrione finitur, pax augusta [per] omnis terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes.* Delendo *per* sententiae mederi frustra conati sunt Haasius et Halmius studiosi nanciscendi obiecti, quod diverso modo et alii nancisci studuere et Halmius ipse in adnotatione proponens dubitanter *per⟨aeque⟩ omnis.* Traditam lectionem qui defenderit invenio Kritzium, sed praestigiantem, cum dicit *immunes* designare ‚homines immunes', sensum igitur esse: ‚pax augusta in remotissimis orbis terrarum partibus homines a metu latrociniorum servat immunes'. Nam haec quidem explicatio sensum satis emendate reddit, at obiectum re vera desideratur solius praedicativi, quod vocant, vice fungente vocabulo *immunes*, intellegendumque animo est generale, velut ‚homines' vel ‚eos, ad quos res pertinet'. Simile Senecae De clem. I 11, 4 *Clementia ergo non tantum honestiores sed tutiores praestat*, eqs. — Compar sese offert locus Velleianus I 12, 7 *adeo odium certaminibus ortum ultra metum durat et ne in victis quidem deponitur neque ante invisum esse desinit quam esse desiit*, quo loco extremi enuntiati desideratur subiectum, intellegendumque videatur ‚aliquid' vel ‚id, quo de agitur' vel fortasse ‚id, quod invisum est'. Quamquam fuere, qui mutare vellent,[1]) hic certe novi nihil molitus est Halmius, qui — dubito, num prorsus recte, — ‚id, quod odimus' ex antecedentibus intellegit[2]) cum Baitero.[3]) Similes subiecti ellipses praebet Seneca De ira II 34, 5. De ben. I 2, 5. 7, 3. II 14, 3. 33, 1. VII 32, 1. Nat. qu. II 38, 2. Ep. mor. XII 3 (85) 18. XVI 3 (98) 5. Comparari possunt etiam exempla accusativi subiecti apud infinitivum omissi a Velleio, ut II 117, 3.

II 127, 2 *etenim magna negotia magnis adiutoribus egent [neque in parvo paucitas ministeria defecit] interestque rei pu-*

---

[1]) *Invisa esse desiit* Lipsii attulit Halmius; contra varia inseruere Orellius in editione sua; Linkerus, Zeitschr. f. öst. Gymn. 1852 p. 89; Gertzius, Stud. cr. in Sen. Dial. (Haun. 1874) p. 106.

[2]) Emend. Vell. (Mon. 1836) p. 18.

[3]) Apud Orellium.

blicae, quod usu necessarium est, dignitate eminere, utilitatemque auctoritate muniri. Verba *neque... defecit* Vossio Boecleroque auctoribus expunxit Halmius, vi et armis expediens nodum, quem ut caute refingendo expedirent alii multi, in quibus Madvigius,[1]) operam dedere. At in scirpo, quod aiunt, nodum quaesiverunt ad unum omnes. Namque a resecando deterrere potest vel gemina oratio II 32, 1 *qui cum dissuadens legem in contione dixisset esse quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberae rei publicae neque omnia in uno reponenda adiecissetque*, eqs. Quod si vertas ,denn Leute in bedeutender Stellung bedürfen bedeutender Hülfskräfte, während im kleinen Kreise auch einige Wenige ihren Obliegenheiten gerecht zu werden vermögen', cet., nescio an Velleio haec sententia optimo iure imputari possit, qui, ut hoc etiam adferatur, ita scripserit II 14, 3 *ut liber a conspectu immunisque ab omnibus arbitris esset neque quisquam in eam* [sc. domum] *despicere posset,*[2]) et II 113, 2 *cum eum* [sc. exercitum] *maiorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret.* Superest, ut dicatur ne *defecit* quidem esse cur mutetur: est perfectum *ἀοριστικῶς* usurpatum, neque, quominus maneat, obstat antecedens praesens;[3]) cfr. velut Sen. De ira I 7, 4. II 11, 5. III 25, 3. De tranqu. an. 6, 2. Nat. qu. VI 18, 3. Ep. mor. I 7, 7. II 6 (18) 15. VI 4 (56) 13. Med. 99 sq.

Seposuimus denique duos locos praeter defensionem certam medicinam utique desiderantes. II 5, 3 . . *facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito [perseverantia ducis], quem moriturum miserat militem victorem recepit: tantum effecit mixtus timori pudor spesque desperatione quaesita.* Voces *perseverantia ducis* cum Davisio necesse non est expellere, licet eo, quo traduntur, loco stare nequeant. Non adstipulere Kritzio *tantum effecit perseverantia ducis*, *mixtus* eqs. edenti:

---

[1]) Scripsit Adv. crit. II p. 313 *atque impar capacitas ministeria deficit.*

[2]) Fuere, qui delerent *neque... posset*; iure tenuit Halmius.

[3]) Historicum, quod vocatur, perfectum praesentia sequuntur II 118, 3 (cf. II 86, 3). [Georgesius l. l. p. 62, Kreyssigius l. l. p. XXII].

at post *foret* si posueris *perseverantia* (= abl.) *ducis*, suo steterit loco, unde motum fuerit, postquam haec scriptura

perseverantia ducis
non deterritus proposito intercessit.

I 11, 1—2 . . *Pseudophilippus* . . *appellatus* . . *armis occupata Macedonia, adsumptis regni insignibus brevi temeritatis poenas dedit: quippe Q. Metellus praetor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum* [*erat*], *praeclara victoria ipsum gentemque superavit*, eqs. Delent Gelenio duce tamquam ab interpolatore invectum *erat*: longe tamen probabilior videatur ratio, qua ductus *inditurus erat* [sc. Pseudophilippus] proposuit Mommsenus, nisi quod ob voces *ex virtute* potius *cui ex virtute Macedonici nomen indi <fa>tum erat* vel *<defini>tum (<fato defini>tum) erat* (cfr. Cic. De fato 9) vel *<destina>tum (<fato destina>tum) erat* exspectaveris. Notum est, Velleio fatum quid valeat. [1])

VII.

Vellei opus, truncum universum, defectuum in sese indicia cum habeat multa, quae aut nondum aut minore redintegrandi successu agnita videantur, peculiarem hanc in rem operam iam placet conferre. Codicis autem Murbacensis quanta sit auctoritas et in ipsa adeo depravatione perlucens fere bonitas, vel ex hac disputationis parte aliquo modo spero perspectum iri.

I 16, 2 *quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cuiusque professionis ingenia in eandem formam et in idem artati temporis congruere spatium, et quemadmodum clausa capso aliove saepto diversi generis animalia nihilo minus separata alienis in unum quaeque corpus congregantur, ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudine et temporum et profectuum semet ipsa ab aliis separaverunt.* In hoc Halmii textu non pauca inutiliter mota: primum *aliove* Lipsii prae *alioque* A P qui sprevere, probandi Kritzius et Haasius; [2]) deinde praece-

---

[1]) Cfr. Sauppius, Schw. Mus. f. hist. Wissensch. I p. 171.

[2]) Cfr. de *-que* et *-ve* particulis velut Klammerus, Animadv. Annaean. gramm. (Bonn. 1878) p. 55 sq.

dente *separata alienis* sufficere videtur *in unum . . . corpus*, neque opus eiusdem Lipsii *quaeque* aut Heinsii *quodque*, cum *quoque* A P obtineri queat integra particula; tum ne *in similitudine* quidem pro *in similitudinem* A P Ruhnkenio duce scribere necesse fuerit, si modo non ,cum', verum ,ut' voluit Velleius ,ingenia aequalia fuerint et temporibus et profectibus', id quod re vera eum voluisse ecquis praefracte negaverit? Quo vero loco *congruere* Heinsium secutus edidit Halmius, *congruens* exhibentibus A P, potius *congru⟨ere toti⟩ens* emendaverim.

I 18, 1 *una urbs Attica pluribus auctoribus eloquentiae quam universa Graecia operibusque floruit*, eqs. *Auctoribus* de ipsius coniectura pro *annis* A P edidit Halmius, melius profecto reliquis, in emendando quotquot periclitati sunt. Vellei tamen fuerit *antis⟨titibus⟩*. Cfr. Cic. De or. I 46, 202 . . *eius artis antistes*, eqs., ubi de ipsa arte oratoria agitur, similiaque velut Colum. De re rust. XI 1, 10. Sen. De brev. vit. 14, 5. Nat. qu. VII 32, 2. Ep. mor. V 12 (52) 15. Plin. Nat. hist. VII 30 (31) 110. Quintilian. Inst. or. XI 1, 69.

II 11, 1 *huius legatus fuit C. Marius, quem praediximus, natus agresti loco, hirtus atque horridus vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, impotens semperque inquietus.* Aliquid incommodi in hac oratione, in qua Halmius acquievit, inesse senserat Cortius, qui *insatiabilis* deleri iussit; rectius tamen suppleri videtur ita ac distingui ⟨*in imperando*⟩ (vel ⟨*imperandi*⟩, vel fortasse ⟨*imperii*⟩) *immodicus*, *gloriae insatiabilis*, eqs. Cfr. II 33, 3 *in adpetendis honoribus immodicus* (ibid § 2 *interminatam cupiditatem . . imperii*). II 79, 1 *aliis sane imperandi cupidus.*

II 11, 2 *Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus et meritum ex virtute ei cognomen Numidici inditum.* Ita restitutum a Martino [1]) ipsoque Halmio, in adnotatione eodem dubitanter proponente *meritum ei virtutique* ⟨*debitum*⟩, cum *meritum et* (om. P) *virtutique* exhibeant A P. Videtur fuisse *meritum ei⟨us fidei⟩ virtutique.* [2]) Sollemnis est haec

[1]) L. l. p. 6 adn. 15.

[2]) Statim hic subiciam II 105, 1 sententiam intermediam, cuius Cheruscorum mentione ansa datur, traditam in A P ita *gentis (-tes* P) *et in-*

coagmentatio: Ter. Ad. 442 *antiqua virtute ac fide*, Sall. Cat. 20, 2 (cfr. Iug. 74, 1) *virtus fidesque vostra*, Cic. De leg. agr. II 9, 23 (cfr. Tusc. disp. I 1, 2) *fides integritas, virtus auctoritas*, Sen. Oed. 781 *fides virtusque*, similiaque habet Velleius II 18, 3 *neque fortitudine adversus Mithridaten neque fide in Romanos*, II 80, 1 *auctoritatem ac fidem*,[1] II 82, 2 *consilio ac fide*, II 125, 5 *curam ac fidem*, II 127, 3 *laboris ac fidei*. *Ei* inserto opus non est, sive hoc ex universa oratione intellegitur, sive ipsi dativi *fidei virtutique* cum verbo *inditum* coniunguntur, quod posse fieri ostendunt I 16, 4. II 87, 2. 91, 1. 98, 1.

II 25, 4 *post victoriam — namque ascendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat — Sulla gratis Dianae, cuius numini regio illa sacrata est, solvit.* Infelici coniectura Halmium puto parenthesi posita pro *qua demendes* MAP dedisse *⟨nam⟩que ascendens*, ubi Gelenium secuti *qua descendens* dederant vulgo. Atque quamquam a multis haec pugna memoratur scriptoribus,[2] accuratior de ea, ad quam Vellei exigatur certius, narratio exstat nulla. Ex codicis vestigiis *qua dem⟨um⟩* (= ibi potissimum, ubi) *e⟨sce⟩ndens* (= cum escendere vellet; an potius tamen *⟨desc⟩endens?*) effici videtur.[3]

II 26, 3 *non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiae filia, uxor Antistii, quae iugulato, ut praediximus, viro*

---

amminus (A, id quod confirmat M, *inamninus* P) *mox nostra clade nobilis*, simili modo videri redintegrandam *gentis e⟨ius u⟩tinam minus ⟨Arminius⟩ mox nostra clade nobilis*, praeeuntibus partim Fr. Jacobo, cuius emendatio *gentis eius Arminius m. n. cl. n.* ab Halmio in textu posita est, partim Froehlichio, qui *gens utinam minus m. n. cl. n.* scripsit. Cfr. II 45, 1 *et* AP pro *ei;* II 104, 2 *ei* P, *et* A.

[1]) Cfr. Liviana XXI 44, 2 *fidelissimos fortissimosque.* XXIII 16, 1 *fortius ac fidelius.* XXIII 46, 6 *forti fidelique.* XXII 60, 20 *fortia fidelia.*

[2]) Cfr. Fischerus, Röm. Zeittafeln (Alt. 1846) p. 185.

[3]) Fuere Tifatorum montis aliquae partes etiam in secundo bello Punico: cfr. Liv. XXIII 36 sq. XXIV 12, 3. XXVI 5, 4; fuere etiam in Samnitium cum Campanis Sidicinisque bello, qua de re Liv. VII 29, 6—7 *namque Samnites.. Campanos adorti.. Tifata, imminentis Capuae colles, cum praesidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quae Capuam Tifataque interiacet. ibi rursus acie dimicatum*, eqs.

gladio se ipsa transfixit. quantum huius gloriae famaeque accessit! nunc virtute feminae propria patet. Extremi enuntiati emendandi viam aperuit Hauptius, cuius emendatio omnis ab Halmio in textu posita est. At licet A P scripturam *nunc virtute eminet patria latet* aliquanto lenius sic corrigere *nunc virtute ⟨f⟩emi⟨nae⟩ nec propria latet.* Cfr. I 17, 2 *ut nec poëtarum in antiquius citeriusve processit ubertas.*

II 30, 1 *tum M. Perpenna praetorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter cenam Oscae interemit,* eqs. A P habent *inter coenam Etoscae,* quae lectio, unde feliciter Puteanus et Aldus urbis nomen elicuere, plus continere videtur, quam vulgo putant. Scripsitne Velleius *inter cenam et ⟨hospitium⟩ Oscae?* Narrat Appianus Bell. civ. I 113 (cfr. Plut. Sertor. 26) .. *ὁ Περπέννας .. τὸν Σερτώριον .. ἐπὶ ἑστίασιν ἐκάλει,* eqs. Cfr. II 59, 3.

II 47, 4 *quo tempore P. Clodius a Milone candidato consulatus exemplo inutili, sed facto salutari rei publicae circa Bovillas contracta ex occursu rixa iugulatus est.* Non ita similiter veri ex Ursini coniectura *inutili, sed* edidit Halmius pro *inutiliter* A P, neque adsenserim Gelenio solum *inutili* restituenti, sed posuerim *exemplo inutili, ⟨pari⟩ter (⟨sed pari⟩ter?) facto salutari* eqs. *Pariter* Velleius usurpat II 41, 3. 105, 2. 120, 6. Duplex *pariter* Vergilius posuit *ἀσυνδέτως* Aen. VIII 545 *Euandrus pariter, pariter Troiana iuventus.* Conferri autem potest II 110, 1 *Rumpit, interdum moratur proposita hominum Fortuna:* [1]) nam ibi praeter necessitatem secundum Heinsium ab Halmio alterum inseri *interdum* post Ruhnkenium non est cur fusius demonstretur. Cfr. etiam II 56, 1. 120, 4. Quo adiunxeris II 104, 3 .. *caelestissimorum eius operum .. spectator et pro captu mediocritatis meae adiutor fui:* nam *spectatum* A — crassa interpolatio est *spectatus* P — emendandum videtur *specta⟨tor⟩, tum,* non, ut secundum Gelenium edidit Halmius, *spectator et,* aut, quod est verbosius Orellii inventum, *⟨cum⟩ specta⟨tor⟩, tum* eqs.

II 50, 1—2 *At Caesar .. duce aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis .. in urbem revertit reddi-*

---

[1]) Cfr. quae infra cap. X de II 82, 1 dicentur.

taque ratione consiliorum suorum . . *Hispanias petere decrevit. Voluerant* pro *venerant* A P Gelenii est, vulgo receptum: probabilius tamen arbitror scriptum iri *⟨decre⟩verant*, cui emendationi septem fere editionis Halmianae versibus interiectis recurrens *decrevit* ne minimum quidem adversatur in Velleio.[1]) Vocabula autem illo modo detruncata saepius inveniuntur,[2]) inter quae simillimum est II 45, 2 *videndo* A pro *dividendo*.

II 52, 4 *ut primum C. Caesar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius neque antiquius quidquam habuit, quam ⟨ut⟩ in omnes partes, ut militari verbo ex consuetudine utar, dimitteret* **. In corrigendo hoc loco difficillimo certum est proficiscendum esse a locis ab Halmio adscriptis Suet. Caes. 75 *acie Pharsalica proclamavit, ut civibus parceretur*, Appian. Bell. civ. II 80 *κήρυκας ἐς τὰς τάξεις πανταχοῦ περιέπεμπεν, οἳ τοῖς νικῶσιν ἐκέλευον ἀψαυστεῖν τῶν ὁμοεθνῶν*, quibus accedit Flor. II 13 [IV 2], 50 *voces quoque obequitantis acceptae, altera cruenta, sed docta et ad victoriam efficax ‚miles faciem feri!' altera ad iactationem conposita ‚parce civibus!'* Ad ipsa recuperanda verba tenendum *ut* cum Gelenio addi non oportere, si infinitivus ponatur, id quod recte intellexit Haasius. Simul autem in tradito *dimitteret* cernitur supplendi ansa peridonea. Putaverim ita fere Velleium scripsisse . . . *quam in omnes partes* . . . *dimitt⟨ere tesseram, civibus miles parc⟩eret*.[3]) Eiusmodi coniunctivorum satis frequentia sunt exempla; cfr. II 3, 1. 45, 1. 49, 4. 80, 2. 107, 1.[4])

II 69, 3 sententiam interiectam ita habet Halmius *sed Antonium bello lacessierat* [sc. M. Brutus], *Vatinium dignatione obruerat, cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur et Vatinius nulli non esset postferendus, in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii*, eqs. Aldi hoc loco est inventum *nulli non*: *nulli nōī (nomini* P) *non* suppeditant A P.

---

[1]) Cfr. quae collegit Kritzius Prol. p. LXVII sq.

[2]) Cfr. Kritzius l. l. p. CIX.

[3]) Adnotavit Halmius: ‚an, ut nanciscamur verbum militare, supplendum est: *signum* (vel *tesseram*) *‚parce civibus'*?'

[4]) Georgesius l. l. p. 61. Langius l. l. p. 13.

Atqui idem Aldus scitius aliquanto etiam *nulli homini non* commentus est. Tradita quidem lectio ad hoc videtur ducere *nulli no⟨n ho⟩mini non*, superfluo altero *non*, arbitror posteriore, quod iam delere par est, aeque ac II 54, 1 *non fuit* [*non*] *maior* ... *fides* M A omisso posteriore *non* emendavit P. Sententiae argutiae prorsus Velleianae; *nulli non homini* valet ,cuilibet hominum', declaratur sequentibus, opponitur praecedenti *cuilibet ducum.*

II 74, 2 *quippe L. Antonius consul* .. *modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui iussa divisione praediorum nominatisque coloniis agros amiserant, ad arma conciens magnum exercitum conflaverat. Iuste* A P, neque Heinsii *iussa* neque ullo ex reliquis inventis certo emendatum. Scribendum videtur *inst⟨ant⟩e.*

II 86, 2 *victoria vero fuit clementissima, nec quisquam interemptus est paucissimis exceptis, qui ne deprecari quidem pro se sustinerent.* Valde mutata est A P lectio *paucissimi et hi qui deprecari quidem pro se non sustinerent* auctoribus Ruhnkenio, qui *paucissimis exceptis*, et Heinsio, qui sequentia commentus est. At vero, inde ut ordiamur, *et hi* nullam suspicionem creat comparanti II 99, 1 *civium post unum, et hoc quia volebat, eminentissimus*, ideoque improbanda vel Halmii, cuius in adnotatione mentio fit, coniectura *paucissimi eiecti;* re vera inter *paucissimi* atque *et hi*, *qui* (,und auch nur solche, welche') aliquid excidisse suspicere, quod quale fuerit, arduum sane est extricatu. Forsitan excidisse quispiam putaverit illud ipsum *eiecti.* At consideremus narrationem Cassii Dionis LI 2 *τῶν τε βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων τῶν τε ἄλλων τῶν κορυφαίων τῶν συμπραξάντων τι τῷ Ἀντωνίῳ πολλοὺς μὲν χρήμασιν ἐζημίωσε, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε, καί τινων καὶ ἐφείσατο.* Augusti celebrandi studio abreptus eius iussu quemquam tunc interemptum esse negasse videtur Velleius, cumque ferretur *πολλοὺς χρήμασι ζημιῶσαι*, hanc rem, si non omnino reticens, at elevans excusansque de industria, scripsisse *paucissimi ⟨multati⟩* (*⟨pecunia multati⟩*, vel hic vel ante *paucissimi?*), eqs. Quo verbo Velleius usus est solo I 7, 1, adiectis quibusdam II 12, 6 *(morte).* 23, 6 *(pecunia ac parte navium).* 37, 5 *(ingenti pecunia).* 38, 6

(longissimae libertatis fine). Heinsii porro mutationem vehementer quamquam probavit etiam Madvigius,[1]) necessariam minime duco: quin ab ipso Madvigio suppeditatur exemplum consimile Senecae Nat. qu. VII 31, 2 *colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus*, quo perpenso ita existimo fulcire inter se Velleianum Annaeanumque, non accedo Madvigio hic quoque *ne matronis quidem* postulanti. Ac Velleius quaerendum, nonne etiam II 68, 1—2 hac orationis forma usus sit. Sed accuratius hac de re disputari oportet. Itaque praebent A P ibi ... *cum immodica (in modica* P) *quidem servari* [sc. M. Caelius] *posset (quippe peior illi res familiaris quam mens erat), in praetura novarum tabularum auctor extitit*, eqs. *Ne modica quidem* ⟨*re*⟩ Aldi receptum est ab Halmio in adnotatione etiam *ne immodica quidem re* (vel *fide*) proponente, cum *ne in modica quidem fide* antea proposuisset Madvigius.[2]) Atque bene quidem ab hoc inventum *fide,* modo ne intellegatur, sicut intellegi voluit,[3]) publica civitatis fides, sed, sicut intellexisse patet Halmium, eorum, qui de ipsius Caelii forent cauturi aere alieno, fides. Velleius autem scripserit sic *cum immodica quidem* ⟨*fide non*⟩ *servari posset*, eqs., ut *fide n̄* post *quidem* exciderit. Negandi particulae collocatio ne dubitationem moveat, cfr. II 82, 2 *cum fortuna non animum mutasset;* Sen. Ep. mor. XIX 7 (116) 4 *sapienti non sollicite custodire se tutum est.*

II 88, 2 sq. ⟨*erat*⟩ *tunc urbis custodiis praepositus C. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus,.. non minus Agrippa Caesari carus, sed minus honoratus — quippe vixit angusti clavi †pene contentus — nec minora consequi potuit, sed non tam concupivit. hic speculatus est*, eqs. Priusquam ad emendandam manifestam corruptelam adgrediar, verbo moneo iniuria Halmium in distinguenda oratione Haasii exemplum secutum

---

[1]) Adv. crit. II p. 307 adn. 1; cfr. ibid. p. 457.

[2]) L. l. p. 305.

[3]) Explicat ita: ‚Etiamsi non plena et integra servaretur pecuniarum creditarum fides, sed tantum modica, (ut solutio differretur similiave tentarentur), servari Caelius non poterat; itaque fidem de foro tollere omnem conatus est.‘

esse, cum antea melius sic fere distinxissent ... *honoratus: quippe ... contentus, nec .. concupivit.* Certe a *quippe* usque ad *concupivit* omnia arte cohaerent; includentur autem recte parenthesi vel ideo, quia vocula *erat* a Madvigio inserta videtur careri posse continuata § 3 oratione, ut evadat *ἀνακόλουθον*, cuius indicio sit *hic* pariter atque II 117, 1[1]) *is.* Illic vero desperavit Halmius. Ac sane neque aliorum velut *insigni, fine, specie, honore, nomine, purpura, panno,* neque ipsius *subtemine, mensura* certi quidquam offerunt. Redintegrari orationem puto ita *pe⟨nitus possessio⟩ne contentus.* Cfr. tum II 27, 1 *penitusque Romano nomini infestissimus,* Verg. Aen. IX 1 *diversa penitus .. parte,* tum Senec. De vit. beat. 2, 2 *quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat,* Ep. mor. III 2 (23) 4 *in huius gaudii possessione esse te volo,* ibid. IV 3 (32) 3 *in possessione beatae vitae positum,* ibid. V 10 (50) 8 *quod semel traditi nobis boni perpetua possessio est,* ibid. IX 4 (75) 13 *ut non sit illis securitatis suae certa possessio,*[2]) quo in genere iam praeivit Cicero De or. II 49, 200 *(iudicii ac defensionis meae),* ibid. III 31, 122 *(prudentiae doctrinaeque),* Ad fam. X 7, 2 *(laudis),* ita tamen, ut orationis colore proprius iurisconsultorum fidelius fere servaretur sensus, sicut servavit ipse Seneca De const. sap. 5, 5 *unius enim in possessione virtutis est, ex qua depelli nunquam potest, ceteris precario utitur.*

II 101, 1 narratur de C. Caesare: *cum rege Parthorum, iuvene excelsissimo, in insula, quam amnis Euphrates ambiebat, aequato utriusque partis numero coiit.* Gelenii emendatione ex *iuvene excelsissimae insulae* A P effectum est id, quod supra posuimus. Atque ‚excelsissimum' regem iuvenem, non insulam adpellari consentaneum est; cfr II. 22, 2. 114, 4. De reliquo malim *iuvene excelsissi⟨mo, in⟩me⟨dio⟩ insulae;* cfr. II 107, 1 *ad medium .. fluminis,* similiaque II 4, 6. 63, 1. 75, 3. 80, 4.

II 106, 3 *et eodem mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus,*

---

1) Cfr. infra p. 46.

2) Cfr. Opitzius, De latinit. Sen. (Pr. Naumb. 1871) p. 3 sq.

ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria <parta> cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Caesarique se iunxit. Pro *victoria* posuit *victrix* Madvigius, contra inserto *parta* genuinam lectionem revocare studuit Halmius. Praestiterit alio loco restituta una littera emendare . . *subvecta, <a> plurimarum gentium victoria,*[1]) h. e. ‚postquam plurimas gentes vicit'. Cfr. II 104, 3 *protinus ab adoptione missus cum eo praefectus equitum in Germaniam.* Duplex in eodem enuntiato *ab* habes etiam II 111, 3 *partem exercitus ab urbe traditi ab Augusto perduxi ad filium eius.*

II 109, 1 *Corpus suum custodientium imperium brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium,* eqs. Bene fere Madvigii auctoritate[2]) ita editur, *custodia tum* praebentibus A P, sed duco potius *custodia tu<entiu>m.*

II 116, 4 . . . *A. Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius, quem virum ne qui intellexit quidem abunde miratus est, †ne nihil non optimo civi simplicissimo duci perisset praeferens,* eqs. En misere corrupta M A P lectio, sicut in textu proponendam existimavit Halmius, cum minoris sit momenti, quod *me* pro *ne* et *civis* pro *civi* habet A, *non* autem omittitur in P, quibus de rebus in adnotatione critica ille rettulit, Madvigii etiam ipsiusque emendandi conatus continente. Atque Madvigii[3]) est *nihil non optimo civi <simile, viro> simplicissimo, duci peritissimo praeferens,* ipsius Halmii *nihil non, <quod viro> optimo, civi simplicissimo, duci peritissimo competeret, praeferens;* quae si inter se conferantur, haec ratio illa aliquanto videatur violentior, rectioris tamen ordinis curiosior. Eandem vero ab ipsis Vellei verbis prope abesse concesseris, si omissa item prima vocula, quae ex superioribus male repetita videatur, haec fere fuisse tibi persuaseris *nihil non, <quod homini>* (vel *<viro>*) *optimo, civi simplicissimo, duci peri<tissimo competi>sset, praeferens.* Atque amat quidem Velleius

---

[1]) *Post p. g. victoriam* Freudenbergius, N. Jahrbüch. f. cl. Philol. CXV p. 43.

[2]) L. l. p. 309. Explicat ‚Corpus eorum, qui suum custodiebant imperium'.

[3]) Ibid p. 310.

eiusmodi formas contractas;[1]) praeterea cfr. I 29, 3 *dux bello peritissimus, civis in toga .. modestissimus*, II 110, 4 *acerrimis ac peritissimis ducibus*. Denique breviter moneo in extremo utroque huius longissimi enuntiati, quod totum exscribere nolui, membro tam § 3 quam § 4 *defectus est* recte tenuisse Halmium, cum aliter sensissent Burmannus et Madvigius; at vero idem Halmius II 18, 6 .. *legemque ad populum tulit* .., *aliasque leges* .. *tulit* non debebat ad alterum *tulit* adnotare ‚mallem abesset', nisi forte ipsum Velleium corrigere animum inducebat.

II 116, 5 *horum virorum mentioni si quis quaesisse me dicet locum, fatentem arguet*, eqs. *Honorum* cum habeant M A, *quorum* ex interpolatione P, Burerio solent obsequi corrigenti *horum*. Latuerit *honor<ificae hor>um*. Legitur apud Ciceronem Or. Phil. II 15, 39 *mentio* .. *honorifica;* Velleius similia habet II 32, 1. 45, 4. 62, 1, atque etiam II 16, 1.

II 117, 1 *Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Delmatico bello Caesar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies funestae ex Germania epistulae <nuntium attulere> caesi Vari . . . velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis Fortuna,*[2]) *ne occupato duce* * * *<sed> et causa <et> persona moram exigit*. Explevit defectum Vossius verbosius quam veri similius ita *ne occupato duce <in debellandis Pannoniis victores Germani iis se coniungerent>*, atque haud ita male sufficere Halmio visum est *ne occupato duce <tanta clades inferretur>*. Quoniam autem *ducem* A P habent, expleri admodum probabiliter potest *ne occupato duce <accidere>mur*, quod vocabulum Livio familiare (cfr. III 10, 8. VI 5, 2. VII 29, 7. VIII 11, 8. 29, 12) Livii imitatori cur non restituatur? Dein porro non inserto *sed*[3]) acquiescendum in transitione repentina *et causa <et> persona moram exigit*, post quae verba aeque *ἀσυνδέτως* § 2 ipsa incipit commotior narratio *Varus Quintilius* eqs., quae narratio pertexitur § 3 *is* eqs. *ἀνακολούθως.*[4])

---

1) Cfr. Milkauius l. l. p. 43 sq.; supra p. 30.

2) Cfr. quae infra cap X de II 82, 1 dicentur.

3) *<Sed> et causa <et> persona* Orellius, ante quem *sed causa <et> persona* Lipsius.

4) Cfr. supra p. 44.

II 123, 2 . . *animam caelestem caelo reddidit* [sc. Augustus]. *Deo* exhibente A valde suspectum fit *caelo* P, quod ad II 124, 3 *redditum caelo* effectum videtur. Neque vero servari potest ullo modo illud ipsum *deo*: cfr. I 2, 1 . . *Hercules ad deos excesserat*, II 75, 3 *transgressi ad deos* [sc. Augusti]; vestigia tamen veri contineat explenti *deo<rum coetui> reddidit.* Cfr. Sen. Ep. mor. XVII 2 (102) 22 *ipse me dis reddam* (loquitur animus humanus); porro idem Sen. Ad Marc. 25, 1 *coetus sacer*, Catull. 66, 37.

Quis ego pro factis caelesti reddita coetu

(loquitur coma Berenices), contra idem Catull. 64, 385 (cfr. 407) *sese mortali ostendere coetu*, Sen. Ep. mor. IX 3 (74) 7 *in hunc mortalium coetum;* deinceps Horatianum illud Carm. III 2, 21 sq.

Virtus, recludens inmeritis mori
Caelum, negata temptat iter via,
Coetusque volgares et udam
Spernit humum fugiente penna;

maxime vero Sen. Herc. fur. 960 sq.

non capit terra Herculem
Tandemque superis reddit. en ultro vocat
Omnis deorum coetus, eqs.

II 130, 3 *deinde* [sc. quid hic meruit] *ut Silium Pisonemque tam <infestos haberet, quorum> alterius dignitatem constituit, auxit alterius?* Burmanni supplementum ab Halmio receptum placet magno opere; fortasse tamen <*tantam*> excidit insuper.[1])

VIII.

In constituendis temporibus quas rationes Velleius adhibuerit quatenusque in adhibendis eis sibi constiterit, difficile est exquisitu, cum praesertim numeros notis signatos ad varios errorum casus obiectos esse eluceat per se, sitque saepe vel permutando vel omittendo erratum manifesto.

[1]) Mutavit *tam* in *tantam* Laurentius, Loci Vell. (Alt. 1836) p. 129, durissimam Velleio dans anacoluthiam.

Tenebras, quibus haec res involuta est, post emissam editionem Halmianam discutere iudicio adgressus est Kaiserus.[1]) Cuius disputatione excussa retractare quaedam visum est pertinentia ad calculos in coloniarum tabula a Velleio usurpatos.

Ut summam rei praecipiamus, veram opinionem, quam posuit quidem, sed persecutus timidius est Kaiserus,[2]) confirmabimus argumentis eam in tabula coloniarum I 14—15 calculos adparere Catonianos. Atque gravissimi quidem momenti sunt, quae de I 15, 3 disputavit, ubi A P lectionem contra Burmannum eiusque adseclas defendit. Egregie porro conveniunt, quae I 14, 6 interpretandi gratia exposuit, neque obstant, ut probe perspexit, I 14, 3. 14, 7.

Iam videamus de I 15, 4 *Cassio autem Longino et Sextio Calvino .. consulibus Fabrateria deducta est abhinc annos ferme centum quinquaginta tris.* Ita Halmius cum Krausio CLIII restituto pro CLVII A P. Quid Kaiserus? Hoc uno loco Krausii emendatione lectionem ita posse facile restitui, ut aeram Varronianam habeamus [a. 627: a. u. c. Varr. 630]. Nonne vero lenius adeo emendari potest CLIIII, quo facto annum nanciscimur 626 sollemnique intercedente quadriennio[3]) aera habetur Catoniana? II 47, 2 *septimo* habent A P pariter ab numeri signo repetendo errore, *quarto* emendavit Laurentius.[4])

Transeamus deinceps ad I 15, 5 .. *Narbo autem Martius in Gallia Porcio Marcioque consulibus abhinc annos circiter centum quadraginta sex deducta colonia est. post duodeviginti annos in Bagiennis Eporedia Mario sextum Valerioque Flacco consulibus.* In numeris Lipsium priore, posteriore Aldum secutus est loco Halmius, cum CLIII et XXIII exhibeant A P. Kaiserus num emendandum sit, dubitat. ‚Nam‘ inquit ‚tralaticiam lectionem cum servabimus, quamquam prior numerus annum ad fastos consulares minime quadrantem efficit (627 : 636), si addiderimus differentiam, quae in libris

[1]) L. l. cap. II p. 10 sq.
[2]) L. l. p. 15 sq.
[3]) Cfr. Kaiserus l. l. p. 12 sq.
[4]) L. l. p. 45.

est inter utrumque consulatum, habebimus a. 650 respondentem ad a. u. c. Varr. 654'. Ex parte igitur hic quoque agnovit aeram Catonianam: at quod in computando satis noto illo consulatu tam mirabiliter Velleium lapsum arbitratur,[1]) fefellisse eum videtur argumenti species. Verum enimvero librariorum neglegentiam incusandam esse vel inde efficitur, quod vestigia dilucida genuinae congruentisque rationis non desunt. Videtur autem fuisse CXLVIII (CLIII A P) priore, XVIII (XXIII A P) posteriore loco. Atque hoc duodeviginti annorum spatium iam ab Aldo restitutum esse supra dictum est. Accepto dein altero numero omnia concinere ratio subducta docet, quoniam quidem devenitur ad Catonianos annos 632 et 650 sive annos ex Varronianis calculis, sicuti vulgo circumferuntur, 636 et 654.

Quibus rebus cum evincatur in hac operis sui parte vel potius digressione Catonianis calculis, fontem, ut videtur, suum secutum, Velleium usum esse, ne I 15, 2 quidem, ubi dubius haeret Kaiserus, hanc ipsam computationem dubitabimus inferre. Itaque apud Halmium etiamsi servatur *Cn. autem Manlio Volsone et Fulvio Nobiliore consulibus Bononia deducta colonia abhinc annos ferme ducentos septendecim*, eqs., quandoquidem designatur annus ex vulgari computatione Varroniana 565, emendandum esse concedemus Kaisero. At quod pronuntiat emendatione calculos Varronianos et Catonianos restituendi eandem nobis esse facultatem, iam ita iudicabimus Catonianos adhibuisse utique videri Velleium, restituemusque CCXVIIII pro CCXVII, ut emergat annus 561 superiori illi aequandus.

IX.

Sequantur depravatorum vocabulorum nonnullae ex simpliciore fere genere emendationes.

I 9, 6 de L. Aemilii Pauli agitur triumpho: *cuius tantum priores excessit vel magnitudine regis Persei vel specie simulacrorum vel modo pecuniae, ut, ⟨cum⟩ bis miliens centiens*

---

[1]) Cum cura Velleium talia tractasse docent II 4, 7. 53, 4.

sestertium aerario intulisset, omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit. Cum inserendi auctor Cludius exstitit, *intulisset* Halmius de sua coniectura posuit *contulerit his et* habentibus AP. Nihil est, quare talia moliamur; scribendum *ut bis miliens centiens sestertium contulerit is* [sc. triumphus] *et omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit.* Sic II 38, 5 *habita lis* AP, *ab Attalis* correxit Gelenius; II 130, 3 *de his* AP, *deis* post Ursinum correxit Heinsius. *Is* similiter ponitur II 40, 4. 45, 4. 54, 1. De *conferendi* verbo iusta dubitatio nulla: II 39, 2 (cfr. 1) *in aerarium .. contulit;* dativi vero cum illo iuncti exempla exstant cum apud poetas — cfr. Ovid. Am. I 10, 58. Prop. II 2, 35. Phaedr. IV 5, 12. 17. 46. Sen. Herc. Oet. 1504 —, tum[1]) — cfr. Nep. Ages. 7, 3. Sen. De ben. IV 5, 2. De clem. I 21, 2. Ep. mor. XIII 3 (88) 31. XIV 4 (92) 17 — in prosa oratione.

II 1, 3 *triste deinde et contumeliosum bellum in Hispania duce latronum Viriatho secutum est.* Non videtur Halmius cognitam habuisse Eussneri[2]) de hoc loco disputationem, qui *duce latronum* ferri nequire ostendit,[3]) et quoniam constat ipsum Viriathum antea latronem fuisse (cfr. inprimis Liv. Epit. LII), restitui iussit *latrone* pro *latronum.* Eadem argumentatione usus restitueris probabilius *latrone olim,* sicuti scripsit Velleius II 19, 4 *paulo ante principis viri,* II 66, 3 *conservatoris quondam rei publicae,* II 59, 6 *tanti mox viri,* II 128, 2 *novum .. Tusculo urbis inquilinum,* similia.[4])

II 120, 4 . . . *qui* [sc. L. Caedicius eiusque socii] .. *nec temerario consilio nec segni providentia usi speculatique opportunitatem ferro sibi ad suos peperere reditum.* Interpolatione ortum *usi* P: *niti* praebente A paulloque etiam rectius ex ipso Murbacensi *viti* enotante Burerio adparet scribi oportere *victi.* Similiter Ovidius Metam. XIV 229 *Invidia socios praedaeque cupidine victos;* Livius II 5, 1 *victi ira,* IX 29, 7 *verecundia victus;* ipsius denique Vellei conferri potest si

---

[1]) Cfr. etiam Georgesius l. l. p. 57.
[2]) Specimen criticum (Wirceb. 1868) p. 30 sq.
[3]) Cfr. etiam II 90, 3 *sub duce Viriatho.*
[4]) *Olim* habes ita Sall. Hist. I 33. IV 61, 17 D.

minus II 31, 4 *consilia impetu victa sunt*, at certe II 124, 2 *magis ratione quam honore victus est.* Habet autem II 97, 1 *victorum* A pro *vitiorum.*

Non multo impeditior res est II 114, 3 *admonitio frequens, interdum et castigatio, vindicta tamen rarissima*, ubi *interdum* ad sententiam quamvis egregie excogitatum sit a viro quodam docto,[1]) traditum *inerat* A P indicio potius fuerit adverbii *interea*,[2]) quod ita usurpat Silius Italicus VII 395. Sequentia autem re vera ita scripsisse censeas Velleium *agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis*, licet contra stent Acidalius, Madvigius, Halmius, *plurima dissimulans, aliqua inhibens* necessarium existimantes poni. Frustra enim pugnat Madvigius[3]) dicendum fuisse *agebatque medium omnia dissimulantis et omnia inhibentis*, si quidem genitivi illi non significant extrema, inter quae temperatum aliquid interiectum sit, sed explicando („. . wie der Fall ist, wenn Einer . .') inserviunt.

Graviore corruptela laborat II 51, 3 *tum Balbus Cornelius . . . illis incrementis fecit viam, quibus non* <*in*> *Hispania ex cive natus, sed Hispanus, in triumphum et pontificatum adsurgeret fieretque ex privato consularis. Hispaniae Asiae* A P, pro quo cum Morgensternio <*in*> *Hispania ex cive* ponere vitium certe non est sanare. Exquisitius vocabulum rariusque usurpantem haec inter se opposuisse Velleium suspicari licet *non Hispanae prosapiae natus, sed Hispanus. Prosapia* enim quamquam a Cicerone Tim. 11 cum excusatione quadam („*ut utamur vetere verbo*'; cfr. Quintilian. Inst. or. I 6, 40. VIII 3, 26) ponitur, adhibitum est a Vellei exemplo Sallustio Iug. 85, 10 *hominem veteris prosapiae*, occurritque vel apud Suetonium Galb. 2 atque Iustinum XIV 6, 11. Cfr. II 29, 2 *stirpis senatoriae.* Idem corruptelae genus II 54, 2 *Iubae* A P: *vivebat* correxit Heinsius, et potest ex altera parte comparari I 10, 3 *magnae* A P: *Macedonicae* correxit Ruhnkenius; contra dubium, num ad hoc erroris genus re-

---

1) In editionis Ruhnkenianae censura, Gött. gel. Anz. 1779, Zug. p. 121.

2) Pariter, idque frequentius, *interim* illa aetate pro *interdum* in usu erat.

3) L. l. p. 310.

vocanda sit mira discrepantia II 40, 4 inter Murbacensem codicem Scholiastamque Lucani (ad IX 178 p. 696 W.) intercedens, cum falso hic *ex Hispania*, illic recte *ex Asia* habetur. Leviculum autem est *Hispaniae* pro *Hispanae* scriptum: cfr. II 38, 2 *Marcellius* pro *Marcellus* A; 3 *Ianius geminius* M A, *Ianus geminus* correxit P; II 51, 1 *vicinia* M A, *vicina* correxit P; II 85, 5 *in confessio* pro *in confesso* A. De *non* .. *sed* particulis supra disputatum est p. 8.

X.

In hoc denique caput congerere placet maioris ambitus impeditiorisque sanationis vitiorum ad Murbacensis traditionis vestigia explicationem.

Antiquum rarumque vocabulum modo Velleio restituimus: idem necesse est fiat I 12, 7 *neque se Roma iam terrarum orbi superato securam speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis.* Neque enim standum in P lectione *si nomen usquam,* sed amplius aliquid eliciendum ex eo, quod in A legitur *si mo* *~~quam~~* (*nitu usquam* superscr.).[1]) Restituerim *si no⟨men si⟩mitu usquam stantis maneret Carthaginis.* Sententiae gravitati consulebat Velleius distinguens orationem vocabulo, quod usurpasse constat poetas scaenicos Luciliumque,[2]) bene illi, sicut ex II 9 colligere licet, notos. An ipsa adeo delitescunt nobilis alicuius poetae verba numerosa? Facta proclivi iactura evasisse primum videtur *nomitu*, deinde *monitu*, quemadmodum II 114, 1 *uni genitio* M A — in P editur tantummodo *uni* — ex *uni negotio* ortum esse perspexit Gelenius.

Immutatarum conflatarumque vocum exemplum perquam notabile reperitur II 68, 1 *dum in acie Pharsalica acriter de summa rerum Caesar dimicat*, eqs. Nam *acriter* qui sibi aliisque pro *Africaque* A P ponendum persuasit Hauptius,

---

[1]) Ita legi testatur Fechterus l. l. p. 13 adn. 2.

[2]) Altera est forma *simitur*, cuius notitia inscriptionibus debetur (Or. 2863. C. I. L. X 147); utriusque vestigia apud diversos auctores ut eruerent operam dedere Buechelerus, Rh. Mus. N. F. XI p. 509 sq. (cfr. tamen Vahlenus, Comm. philol. in hon. Th. Mommseni, Berol. 1877, p. 668) et Ritschelius in Reifferscheidii Suetonio p. 499 sq. = Opusc. III p. 236.

rem gessisse videtur audacius. Leni manu paene integra illinc exsculpere licet duo vocabula *acri feraque*, quibus in pugna Pharsalica usum Velleium consentaneum est, praesertim si conferas eiusdem de eadem narrationem II 52, 3 sq. Similia sunt II 69, 6 *acri atque prosperrimo bello;* II 21, 3 *magno atrocique proelio. Ferus* ut alia multa ex poetico maxime sermone a Velleio sumptum est; velut Ovidio *ferus* est non solum *Mars* (Fast. IV 25), verum etiam *bella* (Metam. VII 212), *proelia* (Trist. V 6, 9), *concursus* (Metam. XI 436). Quod autem haec adiectiva coniunguntur, comparari potest Sen. Thyest. 546 sq.

II 80, 4 ... *decimoque anno quam ad indignissimam vita sua potentiam pervenerat, Lepidus .. inter ultimam confluentium ad Caesarem turbam latens genibus eius advolutus est. In dissimillimam* A P scripturae optime inchoavit emendationem Ruhnkenius, a quo inventum est *indignissimam.* Perfecta tum demum erit, si scripserimus *indi⟨gni⟩ssimam illam*, id quod aeque certum videtur atque verbi causa II 114, 3 Halmii *tamen rarissima,* ubi *amarissima* habent AP, *rarissima* vulgo ediderant auctore Rhenano. Cfr. I 16, 3. II 35, 2. 82, 3. 110, 6. 114, 4, maxime autem 114, 1 *distractissimus ille .. animus.*

II 127, 1 .. *quibus novitas familiae haut obstitit, quominus ad multiplices consulatus triumphosque et complura eveherentur sacerdotia.* Hic *complura enumerentur* (*complurae numerentur* distinguitur in A) M A, *complura enumerarentur* ex manifesta interpolatione habet P. Praeter Vascosani *complura eveherentur* ab Halmio receptum commemoratione dignum Gelenii *complura eniterentur.* Atque inter haec duo optio si detur, praeferas sane illud, quod etiam Vellei loquendi usui optime convenit (cfr. II 9, 3. 30, 3. 53, 3. 56, 3. 90, 1. 116, 4); et posse inde derivari pravam illam lectionem numquis pernegare ausit? Attamen diversa sese offert eaque haud improba solutio, ut putemus fuisse *complura numero e⟨niter⟩entur* (vel *e⟨veher⟩entur*?), abundanter quodammodo, ut Sall. Iug. 93, 8 *numero quinque quam velocissimos;* 97, 5 *hostes numero plures;* Cic. In Verr. act. sec. I 18, 48 *mille numero navium classem;* Pro Font. 4, 8 *equites numero plurimi,* quibuscum componere

licet ipsius Vellei II 95, 2 *gentes . . . numero frequentes* et 106, 1 *iuventus infinita numero.* Commendatur etiam eiusmodi correctio distinctione in A facta, quam ab ipso Murbacensi haud alienam fuisse suspicere: nam Burerius, qui *complura* non tetigit, *enumerarentur* P cum codice conferens hanc rem potest neglexisse.

II 129, 2 *cum quanta gravitate ut senator et iudex, non ut princeps, causam Drusi Libonis audivit! quam celeriter ingratum et nova molientem oppressit!* Lectionis ab Halmio comprobatae quasi architectus qui exstitit Madvigius,[1] *et causas pressius audit* exhibentibus A P, evidenter postquam evicit et depravatum esse *pressius* et certam causam ut in singularum laudum serie respici, quaenam celebris ea causa esset, optime videtur adsecutus comparata Taciti (Ann. II 27 sq.) prolixa narratione, neque vero obstat ullo modo, quod in diverso orationis filo infra II 130, 3 eadem res denuo perstringitur. At in *pressius*, vel, ut ille voluit, *et . . . pressius* ipsum teneri *Drusi Libonis?* Minime gentium. Atque primum quidem *et* suam vim habet positum pro ‚etiam' necesseque est servetur; deinde *causas* non temere ortum resederit ex hac lectione pristina *causa⟨m Drusi Liboni⟩s*; *pressius* denique illud *αἰνιγματῶδες* quid sit, probabiliter enucleari ita *⟨professi op⟩press⟨oris⟩*[2] *sui*, ‚der offenkundig seinen Sturz betrieb', confirmatur dicendi genere in ceteris exemplis adhibito, si quidem § 1 legitur *Rhascupolim, interemptorem fratris sui filii Cotyis consortisque eiusdem imperii*, et deinceps § 2 *Germanicum . . domitorem . . Germaniae.*

II 82, 1 *Qua aestate Caesar tam prospere sepelivit in Sicilia bellum, fortuna, in Caesare et in re publica mitis, saeviit ad Orientem.* Enixa cura qui hoc variis difficultatibus scatens enuntiatum tractavit Hauptius, strenue pugnavit pro Ruhnkenio, cuius est correctio *sepelivit in Sicilia bellum*, cum *Libium in Sicilia B̄n̄* (*bene* P) exstet in A P, deinde autem pro *militavit* A P ipse proposuit scribendum *mitis saeviit,*

---

[1] L. l. p. 313.

[2] Possis cum illo adiectivo *hostis* vel *insidiatoris*, possis seu cum seu sine eodem *percussoris* vel *proditoris* fuisse suspicari, — vereor tamen, ut probabilius.

qua in re ex parte praeiverat egregie invento *mitis* Halmius, qui in editione suum *nutavit* (vel *labavit*) Hauptiano *saeviit* cedere iussit. Atqui neutro loco emendationem perfectam censeo aut plene satisfactum Murbacensi scripturae. Ruhnkenius quin diligenter observato dicendi genere Velleiano verum fere adsecutus sit, nulla est dubitatio; res tamen ipsa persuadet, hoc potius ut restituatur *tam prospere ⟨sepe⟩livi⟨t bell⟩um in Sicilia bienne*, quo facto redditur Velleio probae speciei vocabulum et grammaticis quibusdam testimoniis satis stabilitum et apud Suetonium Galb. 15 Pliniumque Nat. hist. II 82 (84) 198, ubi *bienni spatio* exstat, ut videtur, agnoscendum, praesertim cum hic praecedat *annuo*. Deinceps autem scribendum *Fortuna, in Caesare et in re publica mi⟨tis⟩,*[1] *litavit ad Orientem.* Poetice, ut frequenter, locutus est Velleius. Pro persona hic accipi oportere *Fortunam* etiam Hauptius[2] indicaverat, nec tamen obsecuti sunt editores; atqui ita sensisse Velleium certum videtur, utpote qui posuerit velut II 35, 2 *Virtuti simillimus* et II 18, 1, id quod suam habet comparationem, *Mithridates .. odio in Romanos Hannibal.* Et sunt multi alii loci, quibus pariter nomen proprium Fortunae intellexeris, etsi concedendum est nonnumquam ambigi posse: ut in tali re brevis sim, pertinere huc videantur II 1, 4. 37, 4. 47, 2. 48, 2. 53, 1. 2. 3. 55, 3. 69, 6. 72, 1. 3. 5. 79, 3. 80, 1. 4. 85, 2. 103, 1. 116, 3. 119, 2. 4. 121, 3.

II 90, 1 *Sepultis, ut praediximus, bellis civilibus coalescentibusque rei publicae membris et coaluere quae tam longa armorum series laceraverat.* Gravissimam huius loci corruptelam ex parte tantummodo sanavit Bergkius *et coaluere* reponendo: *et coram aliero* habent AP, disiecta membra laceraque genuinae scripturae, quae fuit sine dubio haec *et coal⟨uere⟩ Rom⟨ano imp⟩erio.* Ceterum fac animadvertas semper ita ponere Velleium *Romanum imperium*, numquam contrario ordine: cfr. I 12, 6. II 52, 3. 90, 2. 103, 4. 120, 1. 131, 1.

Sed haec hactenus.

---

1) Cfr. Sen. Ad Pol. 16, 6.

2) Ber. d. Sächs. Ges. d. W. I p. 195 = Opusc. I p. 271.

INDEX RERUM.

(Numeri indicant paginas.)

---

1) V. 38 legendum 80, 2.
2) V. 21 legendum *Lymira* habetur in M.
3) Cfr. ibi II 15, 2 *petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur.*

INDEX LOCORUM.

Berolini typis expressit Leonhardus Simion.